1584

Vita Theresia [illegible] Convet
[illegible] de Toledo

Logica cõpediũ per canonicũ Belvensiũ
cõmentatum.

D. RAYMVNDI LVLLI LOGICÆ COMPENDIOLVM PER ANTONIVM BELVERIUM Lullianæ doctrinæ professorem commentariolis illustratum.

✝



MAIORICIS.
APVD GABRIELEM GVASP.
1584.

IVſſu Illuſtriſsimi, ac Reuerendiſsimi Domini Epiſcopi Maioricen. Ego Antonius Palau Canonicus in ſacris literis Doctor, & Lullianæ doctrinæ ſtudioſus, vidi commẽtarios Admodum Reuerẽdi, & peritiſſimi Doctoris Antonij Beluerij Canonici, in compendium Logicæ Raymundi Lulli illuminati Doctoris, & fateor illos eſſe veræ Philoſophiæ germanos, & nihil cõtinere, quod vel doctrinæ catholicæ, vel bonis moribus aduerſetur. Datum Maioricis. 7. Kalendas Ianuarij. 1584.

¶ Poteſt liber hic typis excudi. Dat in Epiſcopali palatio. Die. 27. Decembris.

Vidit Ioannes Mirana.

AD VERITATIS STVDIOSVM

Beluerius.

COMMENTATVRVS in huius Logicæ compendiolum nolo veritatis ſtudioſe occultũ tibi animi mei conſilium. mens mihi eſt hec, explicãde arti omnes neruos intendere, Chriſto ſemper duce.

Dum artem audis illam per antonomaſiã percipe, quæ ad omnem eruditionem & artem ars eſt communis, & ad Encyclopediam abſolutiſsima. Cæterum vt hac prouincia nihil eſt vel grauius, vel optabilius, ita nihil periculoſius; Res eſt non illotis ad eunda pedibus, ſed ingenti quadam animi paraſceue. Huius nos admonet authoripſe artis in arte magna, parte 13. ab eo qui artẽ ſit aggreſſurus poſcens, vt ſit Dialecticis, & Phyſicis ſtabilitus. Secutus itaq; Lulli conſiliũ hos commentariolos edo non prętermiſſurus in Phyſiologicis apparatum, quibus ad artem percipiendam, & exercendã inſtructi euadamus.

¶INSTRVMENTA AD DIALecticas meditationes.

CVM omni in re modo ſit opus, eſt in docendo potiſsimum, & ſemper. nam citra artem docere, eſt implicare, & confundere, nō explicare. ſiue igitur ſermone exponas, ſiue ſcriptis declares, aut tecum omnino mediteris, lege, modo, & recto docendi genere eſt opus. Id quod tibi hæc inſtrumēta præſtabunt.

¶CONSTITVVNTVR QVAtuor inſtrumenta.

VT tyrones in ipſo ſtatim limine exerceri poſsint in dialecticis luctis, quattuor præbeo, ceu inſtrumenta, & ſunt methodus, finitio, diuiſio, & probatio.

¶METHODVS IN DOCENdo primum inſtrumentum.

CVm duplex ſit methodus, in reb⁹ vna, & in docendo altera. Hic quæ obſeruatur

tur in diſciplinis,tractabitur. Et eſt ordo in diſciplinis adhibendus. Vt in tradenda grāmatica eſt a literis initium, deinde itur ad ſyllabas,hinc ad dictiones &ſiſtitur in earū compoſitione. Quare (inquies) methodus reſtim ducit? Quia method⁹ alijs inſtrumētis, eſt velut inſtrumentum. Certe in diſciplinis tam eſt methodo opus vt diſciplinā a methodicos tradere,ſit perturbate, & perplexe docere, ſiue obſuſcare, & dedocere, & proinde methodus omnium inſtrumentorum eſt primum. Quod ſi defuerit, vix vlli ſunt cōmodo alia,adeo vt alia ſint veluti docendi genera, & methodus illorū decor, & apta compoſitio. niſi methodo deficieris,diuiſeris,probaueris, petibūt omnes tuæ doctrinæ fructus, imo niſi ipſam methodum methodo diſpoſueris, tempus,& oleum perdes.

¶ Finitio, diuiſio, & probatio non ſunt methodi, ſed docendi genera in methodo collocanda, nam ſi finitio, diuiſio,& probatio eſſent methodi,pari iure ex quolibet argumēti genere duci methodus poſſet. Si enim finitione;vel probatione explicare eſſet methodus,eodem prorſus titu

lo per causas & effecta, per subiecta, & adiuncta, & reliqua, erunt methodi. Adde, quid quid ad docendum profertur, erit methodus. igitur finitiones, diuisiones, & probationes methodi non sunt, sed docendi genera, & explicandi formæ, quæ dum traduntur, tradendæ sunt methodo. definiendum, diuidendum, & probandum est methodo. est finitio finitioni methodo eleganti anteponenda, & diuisio diuisioni, & probatio pariter probationi. Est & methodo per agendum, cui primus concedatur loc⁹ finitioni, diuisioni, an probationi.

¶ DIVISIO METHODI IN docendo prima.

Methodus in docendo seu in disciplinis aut est naturæ, aut artis. patet hoc argumento, docendo vel sequimur ipsius naturæ progressum, vel cognitionis.

Nature methodus est a constituentibus ad constituta, vel a fundamentis ad fundata, & denique a prioribus quoad naturam ordo. primæ particulæ exemplum est a literis ad syllabas, & ab his ad dictionem abitio, & complectitur hæc particula ab

la ab vniuersis ad singula, ab simplicibus ad composita, & a partibus ad totum doctrinam. Exemplum secundæ particulæ est ab igne ad eius calorem, & lucem excursus. Exemplum tertiæ est a causis externis ad effectum progressio, quamquã hæc tertia particula sola satis methodum naturæ explicasset.

Artis methodus est a notioribus ad minus nota. notiora intellige, non quæcunque, sed quæ in sequentium cognitionem ducunt Admonitus interim esto haud esse pugnam inter has methodos. nam nihil præpedit, quo minus eadem sit & naturæ, & artis methodus.

¶SECVNDA DIVISIO METHODI in docendo.

Methodus item duplex est, alia Synthetica, alia Analytica. Syntheseos method' est. qua componendo docemus, vt est elementorum doctrina, de inde plantarum, mox animantium.

Analytica est præpostera dissoluendo, vt est elementorem doctrina, de inde chaos corporei.

Hæ methodi cum primis id habẽt ſymboli.naturæ methodus eſt plerumque ſynthetica, interdum Analytica, vt eſt ab elementis ad eorum qualitates.doctrinæ vero compoſitionem interdum amat, interdũ reſolutionem.

¶DE VSV METHODI.

NIhil doce abſque methodo. nuſquam ſis methodi immemor,ſiue quid explices,ſiue ab alijs traditum exponas.nihil eſt. n.doctrinæ peſtilentius,quam citra methodum docere. ſit explicandum de homine, inchoabis ab animalis doctrina naturæ methodo,artis vero a ſingulorum animãtium cognitione. inchoabis item cõpoſitionis methodo ab animi & corporis traditione, reſolutiõis vero,ab homine ipſo ad corpus & animam tendes.

¶FINITIO SECVNDVM inſtitutum.

FInitio eſt oratio,quæ quid ſit res,manifeſtat.

De-

Definitum eſt res, quæ a finitione explicatur. finitio.n. eſt veluti lux, indicãs eſſe rei vt animal rationale eſt hominis finitio, nã quid homo ſit, explicat. homo eſt definitũ, eſt enim res illa, quæ quid ſit a finitione dilucidatur.

¶FINITIO VALIDA ET INualida exponuntur.

VAlida finitio eſt, quæ finito æquatur, inualida, quæ eſt impar. Index recte finitionis eſt paritas, finitio valet, quæ eſt rei definitæ coęqua. oſtenditur ęqualitas mutuo recurſu, ſi quid eſt homo, protinus eſt animal rationale, Et reciproce, ſi quid eſt animal rationale, eſt homo. quare valida eſt hominis preſcripta finitio.

¶Si finitio eſt definito aut latior, aut preſſior, iudicetur inualida, legem enim paritatis transgreditur.

¶DETEGITVR DVPLEX finitionis vitium.

Eſt finitio, quę peccat nimio, eſt quę mo

dico.

Si finitio plusquam res definita amplecti tur, excessu peccat. vt cõstituatur finitio hominis animal bipes, mortale, laborat hæc maioris vitio, plus enim ambit quã homo.

Si finitio est compressior, est infirma ob minus. vt assignetur hominis finitio animal candidum, rationale, peccat hæc constrictione, nam paucioribus conuenit, quã homo.

¶DE VSV FINITIONIS.

Res primo statim limine deffiniatur. nã in docendo ab rei finitione est initium, nisi vocis ambiguitas obstet, quę sit prius explicanda, vt pateat, quo vox sumatur significatu, Sit votum de homine docere, his pinge coloribus, animal, rationis particeps, finitione progrederis, & rei naturam declaras.

¶DIVISIO TERTIVM INstrumentum.

Diuisio est communioris in minus cõmunia sectio. vt animalium aliud homo, aliud brutum.

Tres

Tres ſunt cuiuſque diuiſionis partes, diuiſum ſcilicet, quod diuiditur,& diuidētia minus nempe communia, quæ diuidunt, & diuiſionis nota,quæ ſectionem indicat.

¶OSTENDITVR DVPLEX diuiſio valida,& inualida.

Diuiſio valida eſt,cuius diuidentia diſiũctim ſumpta diuiſo æquantur.

Inualida eſt,cuius diuidentia ſunt diuiſo imparia.

Eadem eſt rectę finitionis, & diuiſionis norma,nempe æqualitas, vt homo aut bonus,aut prauus, valida eſt ſectio nam diuidentia cum disjunctione iuncta cum diuiſo agunt paria.

Hominum hic Italus,ille gallus,inualida eſt diuiſio,nam homo latius patet,quã iunctim gallus,& italus.

¶PROBATIO INSTRVMENtum quartum.

Probatio eſt argumentatio concludens, & probans.hæc deſcriptio tria poſtulat explicari

plicari, quid ſit argumentatio, quid conclu dens, & quid probans. Et ne per nebulam ducaris a quæſtione initium ſumi debet, na turæ, artis & ſyntheſeos methodo.
Quæſtio eſt id, de quo diſputatur, & cõtro uertitur. vt eſt ne in homine ſentiendi ani ma?

De inde argumẽtum eſt facula, quę illu ſtrandę quęſtioni adhibetur, Vt ſentire eſt proximę quęſtionis argumẽtum, & ratio, nam eſt ea vis, quę quęſtionem cõprobat. Ex his conſtat quid ſit argumẽtatio, eſt ab argumento ad quæſtionem excurſus, ſeu ra tionis cum quæſtione coaptatio, vt homo ſentit, igitur habet ſentiendi animam.

¶TRES ARGVMENTATIO-nis partes.

Tres (vt in Analyticam mutemus metho dum) vna quęq; argumentatio habet par tes, antecedens, conſequens, & conſequtio nis notam.
Antecedẽs eſt axioma, quod infert, eſt autẽ axioma oratio indicãtis modi. conſequẽs eſt, quod infertur. conſequtionis nota eſt, quæ

quæ collectionem indicat.ſit exēplum in argumentatione ſuperiori ſentit homo,eſt axioma antecedens, nā infert.habet homo ſentiendi animam,eſt conſequens,nam infertur.Igitur eſt conſequij nota,nam vnius ab altero illationem indicat.

¶OBSERVATIONES IN ARgumentationis partes.

Duplex eſt antecedens, ſimplex, quod vnum eſt axioma.& cōnexum, quod multis conſtat. obidque in propoſitionem, & aſſumptionem diducitur.

Propoſitio,ſeu maior eſt prior pars antecedentis. Aſſumptio, ſeu minor eſt poſterior pars.ſit hæc argumentatio,quiſquis eſt præmio,aut ſupplicio dignus,liberi eſt arbitrij.At homo is eſt.Liberi eſt igitur arbitrij. Primum antecedentis pronuntiatum propoſitio,ſiue maior dici ſolet.Alterū aſſumptio,ſiue minor.

Conſequutionis nota vel eſt ratiocinij, ergo,igitur,quare,vel conditionis, ſi,ſiquidem.porro quod ratiocinij notam præcedit

dit est antecedens, at quod proxime sequitur condicionis notam, est antecedens.

In antecedente est semper ratio, ibi igitur quærenda. Consequens est, quod ante argumentationem erat quæstio.

¶DESCRIBITVR ARGVmentatio concludens.

Est consequutio exactissime animaduertenda in argumentatione, tanquã res magni momenti. Ea neque est antecedens, nec consequens, nec consequutionis nota, sed ipsa consequentis ab antecedente illatio. quod argumento hoc fiet perspicuũ. Consequutio sæpe admittitur, & antecedens cũ consequente simul negatur.

¶DVPLEX EST CONSEquutio.

Altera est valida, altera inualida. Agnoscitur vtraque hoc canone. Si antecedens ne cogitari quidem potest verum, quin simul sit consequens verũ, firma est, & recta collectio. Inualida vero, si fingi potest verum,

id

id quod antecedit, & quod sequitur falsũ. vt si est summum bonum, est summe diligendum, valet sane consequium, nõ enim fieri potest summum esse bonum, quin idẽ sit summe diligendum.

Consequutio nusquã ambigua reperitur. quæ est semel recta, nulla vi potest infirma reddi, eam obrem distinguẽda est nusquã collectio.

Ne in consequutionis iudicio erres, perpende illius valorem a partiũ veritate haud quaquã pendere, sed a solo consequẽtis ab antecedente effluxu. & vt nihil prętercas, habe proloquia, quibus videas, quot modis possunt se se habere antecedens & consequens penes verum, & fallum.

In recta consequutione reperitur vtrumque falsum, & antecedens, & consequens. Vt homo est leo, igitur belua.

In recta reperitur vtrumque verum. Vt homo est capax disciplinarum, igitur est rationis.

In recta reperitur antecedens falsum, & consequens verum. Vt homo est leo, ergo homo est animal.

In re-

In recta pugnat, vt sit verum antecedẽs, & consequens falsum.

In cõsequutione inualida reperitur vtrũque verum. Vt homo sentit, igitur ignis calfacit. In inualida reperitur vtrumq; falsum vt homo est lapis igitur sol non lucet. In inualida datur antecedens falsum, & consequẽs verum, vt homo est brutum, est igitur rationis particeps. Datur postremo in inualida antecedens verum & consequens falsum. Vt homo est ad Dei imaginẽ, ergo est infinitus.

Ex quibus collige ex vero semper sequi verum, ex falso quandoque verum, quãdo que falsum.

Ex his patet quid sit argumentatio concludens, cuius conequutio valet, & cuius consequens recte ab antecedẽte colligitur, vt si data esset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iusticia.

¶DESCRIBITVR ARGVmentatio probans.

Argumentatio probans est, cuius antecedens reddit manifestum consequens, vt respirat homo, pulmonem ergo habet.

Est

Est quidem argumentatio, quæ recte colligit, at nihil probat, vt homo est leo, igitur est animal. Sed probare non potest, quin colligat, recta enim cōsequutio est probationis columna.

Redeamus iam vnde sumus digressi, ex prædictis cōsequitur quid sit probatio. Argumētatio nempe concludens, & probās.

DE VSV PROBATIONIS.

Res quælibet per positiones exposita probationibus ostēdatur, nam ex positionibus ad probationes est transeundum, vt, quod ex quibuslibet positionum generibus fuerit explanatum, ratione confirmetur.

Hactenus de quattuor instrumentis, vt assuescat tyro progymnasmatis in ipso statim dialectices limine. Sūt & alia quatuor veluti instrumenta differentia, concordia, ordo, & gradus, quæ plurimum valent ad detegēdū abstrusa, & amplificādū detecta. Sed quoniā ex arte colligimus, eā ob rem in arte trademus. fietq;, vt quemadmodū quatuor hæc in logica breui pręponimus

ad diſputandum, ita quatuor illa præmitta mus in arte breui ad detegendum, et ampli ficandum. His preiactis veluti prolegome. nis audiamus Lullum.

INSCRIPTIO OPERIS.

Eus cum tua ſumma perfectione incipit logica breuis.

Hęc eſt operis inſcriptio duas cõ plectẽs partes. In prima numẽ in uocatur, inuocatio fit nouoritu. Primo ſtatim verbo Deus interpellatur tanquam author omnis boni. intermiſcetur ſũma perfectio, qua ſcilicet Deus nuſquam non agit. In ſecunda parte imponitur nomen. Operis, nomen eſt logica breuis, quæ ceu iſagoge ad dialecticam nouã prępon itur.

QVÆSTIO PRIMA IN OPERIS inſcriptionem.

Cur ritu nouo fit inuocatio?

A nouo homine quid niſi nouum? deſig-

nat

nat ſane illum numinis afflatum, quo Lullus in nouum hominem eſt trāsformatus. Admonet interim ſibi nihil, ſed Deo omnia attribuenda.

QVÆSTIO SECVNDA in operis inſcriptionem.

✝

Quod eſt Logicæ etymon?

¶Etymon eſt a logo, quod eſt ratio, Logica, id eſt rationalis, ꝙ mētem inſtituat, eique dux ſit, atque magiſtra. Si obijcis. Logicam dici a logo, quod eſt ſermo, ob id que inter diſciplinas de ſermone connumerari debere. Huic ſatisfacio, logos eſt vox ambigua græcis, valet ſermo, verbum, & ratio, at qui aptius eſt, vt a logo, quod ratio logica nomen deſumat.

Nam ars eſt ratiocinandi, non loquendi. Eamque obrem Dialectica alio nomine appellatur a Dialegome verbo græco, quod eſt diſſero.

OPPOSITIO IN OPERIS inſcriptionem.

Extat Dialectica noua tam abſoluta, vt hac nihil ſit opus, fruſtra eſt igitur hæc. Reſpondetur, Dialectica noua diues eſt, & perfecta, adeo vt nihil poſsit deſiderari, at pro tyronibus hac tanquã faciliori, & breuiori eſt opus, ceu paraſceue quadam ad nouam.

¶DEFINITIO LOGICÆ.

Textus

Logica eſt ars, qua verum, & falſum ratiocinando cognoſcuntur, & argumentando diſcernuntur.

Commentum

Conſtituta operis epigraphe adeſt ilico logicę finitio, vt cui diſciplinæ nauanda ſit opera, compertum fiat.

Infinitione ſunt tres particulæ. Prima eſt ars, methodica. ſ. canonum cõcinnatio ad faciliorem veri adeptionem. Secunda particula eſt, qua, ceu inſtrumento verum, & falſum noſcuntur ratiocinando, id eſt per doctrinam, & præcepta ratiocinandi. Eſt autem ratiocinari per rationem explicare.

Ter-

Tertia particula eſt, & argumentando diſcernuntur. Argumentari eſt argumentum cum quæſtione aptare.

Senſus date finitionis aperte redditus, & nulli patens cauillo, eſt is, Logica eſt doctrina recte argumentandi, vt argumentando verum comparetur.

¶QVÆSTIO IN DIFFINITIONEM Logicæ.

Eſt ne Logica ars?

¶Eſt, nec aptiori nomine dici poteſt. probatur hoc argumẽto. Ars eſt ratio instituẽdi mentem per pręcepta, vt quod diſquirit, facili⁹ aſſequatur, at logica eſt huiuſmodi, ars ergo. Maior eſt recepta. minor oſtenditur, logica eſt ratio quedam, & modus per varios canones mentem erudiens, vt recte argumentando verũ inueniat, ergo eſt ars.

OPPOSITIO PRIMA IN DEFINITIONEM Logicę.

Finitio logicæ nihil habet loco generis, inualida

inualida ergo. Conſecutio eſt manifeſta, omnis enim finitio aut genus, aut aliquid loco generis habere debet. Antecedens comprobatur, ſi in data finitione eſſet quidquam generis loco, eſſet ars, at non eſt, igitur data finitio nihil habet loco generis. aſſumptio ita oſtenditur, facultas eſt genus ad Dialecticam, vt Ariſt. primo oratorio habet, vel (vt alijs placet) virtus, vis, ſiue ſcientia.

Reſpondetur, de vero genere Dialecticæ non eſt, ꝙ hic diſſeramus, nã ad illud cognitione de vniuerſis, & exacta, eſt opus. Certe ſi vera generis ratio cuiquam eſt tribuenda, arti maxime. Vt cunq;, id eſt compertiſsimum, artem loco generis eſſe.

OPPOSITIO SECVNDA
in definirionem logicæ.

In ipſa logicæ finitione nihil eſt loco differentiæ, abſurda ergo.

¶ Antecedens probatur, data finitio conuenit omni diſciplinæ & arti, omnis enim diſciplina, & ars verum & falſum ratiocinando cognoſcit, & argumentando diſcernit, vt patet per ſingulas excurrenti. Mathematicæ

maticæ in materia de quãtitate verum tradunt, Physiologia in re Physica, Theologia in re diuina.

Respondetur, finitio non percipitur recto sensu. cõstat sane, disciplinam omnem circa verum versari, at circa argumentationum præcepta, quibus ceu instrumentis verum adquiritur, sola Dialectica versatur. In finitione ergo argumentari non est argumentationibus vti, sed argumentandi doctrinam, & præcepta tradere.

¶ ARGVMENTVM TOTIVS operis.

In logica considerantur tria, scilicet terminus, propositio, & argumentatio.

¶ In hac litera proponitur argumentum operis, in eo tria annotãtur, circa quæ logici cõsideratio voluitur. Tria sunt capitatim quæ in dialectica, critica pręcipue animadueruntur, terminus, propositio, & argumẽtatio, sub quibus quicquid ad Dialecticam dispositionem pertinet, comprehenditur.

QVÆSTIO PRIMA IN ARgumentum operis.

Terminus, propositio, & argumentatio

ad quam Dialecticę partem ſpectant?

Ante quam quęſtioni reſpondeam, duas annotationes præmitto. Annotatio prima, Dialecticæ duæ in vniuerſum ſunt partes inuẽtio ſcilicet, & diſpoſitio, adeo quod ſi quicquam in ea traditur, quod ad inuentionem, vel diſpoſitionem non ſpectet, illud ſit alienum, & vi mutui traditum.

Annotatio ſecunda, inuentio dicitur græce topica, id eſt localis. Diſpoſitio dicitur critica, id eſt iudiciaria.

Inuẽtio appellatur topica, ſiue localis, ꝙ locos tradat, in quibus argumenta, & rationes ſunt diſquirenda. Diſpoſitio dicitur critica, ſiue iudiciaria, ꝙ de conſecutionis, & probationis valore dijudicet.

His annotatis, ſit concluſio, terminus, propoſitio, & argumentatio ad diſpoſtionem potiſsimum attinent, argumentatio enim, ad quam terminus, & propoſitio referuntur, opus eſt diſpoſitionis.

QVÆSTIO SECVNDA
in argumentum operis.

Cur in hoc opuſculo diſpoſitio traditur prius

prius,& in logica noua inuentio?

In Dialectica noua ſeruatur naturæ methodus, qua inuentio diſpoſitionē præcedit. In hoc opuſculo obſeruatur doctrinæ, a facilioribus ſcilicet. Nam cum diſpoſitio facilior ſit, quam inuentio, atque hic rudes inſtituantur, ob id diſpoſitio iuſte prius explicatur.

¶ OPPOSITIO IN ARGVmentum operis.

Complura ad diſpoſitionem ſpectant, quæ his tribus capitibus non ſunt comprehenſa, plura ergo ſunt tribus. Antecedens oſtenditur, primo maius extremum, minus extremum, & medium, ſecundo verum & falſum, antecedens, & conſequens, tertio conſecutio ad diſpoſitionem pertinent, & non ſunt his tribus compręhenſa.

Reſpondetur, maius extremum, minus extremum, & medium ſub termino compræhenduntur. Verum, & falſum, antecedens & conſequens ſub propoſitione, conſecutio ſub argumentatione.

CAPITVLVM PRIMVM DE termino,& primo de termini finitione.

Terminus est dictio significatiua, ex qua propositio constituitur. vt Deus, Angelus.

¶ Terminus inter tria Dialectica capita est primũ, ab eo inchoatur, vt eius cognitione perfectius cognoscãtur, quæ ex illo conficiuntur, propositiones scilicet, & argumentationes.

Terminus hic sumitur comparatione ad propositionem, in eius finitione sunt tres particulæ, prima particula est dictio, quid ea sit ex grammaticis disce. Secunda particula est significatiua, significatiuum est, quod aliquid præter se repræsentat, tertia particula explicat comparationem termini ad propositionem. Sit in exemplũ, vox ista Deus terminus appellatur, nam est dictio, significans, ex qua tanquam ex materia coalescit hæc propositio, Deus est summum bonum.

QVÆSTIO IN DEFINITIONEM termini.

Tres particulæ in definitione termini con-

contentæ indicant ne aliquid?

Tria indicant, quæ in quolibet termino possunt considerari, id enim quod terminus dicitur, tripliciter potest animaduerti, primo vt vox, scriptura, vel notio. Secundo vt signum. Tertio vt terminus.

Dictio igitur vocis, scripturæ, vel notionis rationem designat. significatiua notat rationem signi Ex qua propositio constituit, rationem termini.

Sit in exemplum hic terminus bonitas est primo vox, & in eo priori nihil repræsentat. Secundo est signum, nec dum propositionem spectat. Tertio est terminus, pars nempe propositionis.

OPPOSITIO PRIMA IN DEfinitionem termini.

Meta agri est terminus, & non est dictio, peccat igitur finitio termini.

¶Respondetur, in maiori sumitur terminus laxis habenis, pro omni quod est extremum, & finis. In litera sumitur compresis, vt pars est axiomatis.

oppo-

¶OPPOSITIO SECVNDA in definitionem termini.

Omnis,nullus,ſunt termini,& non ſigni ficant, inualida eſt ergo finitio. Maior eſt manifeſta , conſtituunt propoſitiones. Minor probatur,non repreſentant ſubſtan tiam,non accidẽs , ſed neque aliquid fictũ, ergo non ſignificant.

Reſpondetur dupliciter,prima reſponſio eſt,vt admiſſa maiore , minor negetur. Ad cuius cognitionem obſerua,duo eſſe ſigni ficantium genera , quædam per ſe ſignificant,quædam coniucte,prioris generis voces Græci menomenas,ſiue categorematicas vocant,poſterioris Symenomenas,ſiue Syncategorematicas. Et huius poſterioris ſunt dictiones omnis,nullus,nõ , aliquis, & conſimiles,item aduerbia , coniunctiones, præpoſitiones,& interiectiones,quæ ſepara tim nihil ſignificant , ſed coniuncte cum alijs vim,& modum aliquem adhibẽt.Illuſtro exemplis,effers,homo currit , vox homo per ſe in cogitatum , & notionem hominis,huius ſcilicet,aut illius perducit.Addis,

dis, omnis homo currit, iam homini vim, & rationem adhibes, quā antea non habebat, & tu excitaris in notionem, & cogitatū non huius, vel illius, ſed omnium.

Poteſt altera adhiberi reſponſio, vt maior negetur, Symenomena non ſunt proprie termini, ſed adminicula terminorum.

¶ OPPOSITIO TERTIA IN definitionem termini.

†

Bonitas, magnitudo, & reliqua artis principia ſunt termini, & nullum habent aſpectum ad axioma; tollenda eſt ergo tertia particnla. Maior eſt Lulli in arte magna, cap. de prima figura.

Reſpondetur, terminus hic alia ratione appellatur, alia vero in arte. Hic eſt propoſitionis extremum. Illic bonitas, magnitudo, duratio dicuntur termini triplici ratione, primo quia in rerum natura ſunt extrema analyſios neſcia. Secundo quia in conſideratione ſunt extrema. Tertio quia ſunt propria artis vocabula.

Oppo-

OPPOSITIO QVARTA IN definitionem termini.

Plato est terminus, & ex eo non constituitur propositio, inualida est ergo finitio termini.

¶Respondetur, verba in definitionibus posita non actum, sed aptitudinem notant. Proinde verbum constituitur valet, est aptum constitui.

DIVISIO TERMINI IN communem & singularem.

Terminus est duplex, videlicet communis, & singularis. Communis est ille, qui significat, vel significare potest multa sub vna impositione, sicut homo, animal. Discretus est ille, qui significat, vel significare potest vnum sub vna impositione, vt Iesus, Maria.

Hæc litera in duas partes abit. In prima parte diuiditur terminus in communē, & discre-

discretum seu singularem. Esto interim admonitus tyro, quod in grammaticis schomilis nomen appellatiuum audiebas, terminus cōmunis hoc loco dicitur. quod illic nomen proprium, hic terminus singularis.

In secunda parte destribuntur terminus communis, & singularis. Communis est qui, sub vna impositione multa represētat. singularis est, qui sub vna vnum. Exemplū de communi, homo est terminus communis, nam sub eadem impositione omnes homines significat. Adeo vt si quispiam recens nascatur, haud opus est noua institutione, vt vocetur homo, sed prima, & antiqua est satis. Exemplum de singulari, paulus est terminus singularis, nam vna impositione vnum significat, vt puta Paulum Apostolum. Et si ad Paulum Emilianum referas, iam alia opus est impositione.

Et si alius homo in lucem prodit, velisque vt paulus dicatur, noua opus est positione, qua Pauli nomen illi imponatur.

Ex his collige, vt terminus singularis tot egeat positionibus, ad quod significata referitur.

Quæ-

QVAESTIO prima in diuiſionem termini in communem, & ſingularem.

AD quid confert hæc diuiſio termini? Confert ad cognoſcendam propoſitionis quãtitatem. Nam ex termino cõmuni, & ſingulari conficiuntur propoſitiones cõmunes, & ſingulares.

QVÆSTIO SECVNDA IN diuiſionem termini.

Quotuplex eſt terminus communis? Huius quæſtionis explicatio iter ſternet ad Iullianam de vniuerſalibus doctrinã. Duplex eſt terminus communis, primus eſt, cui reſpondet res communis, & res ſingularis. Secundus eſt, cui reſpondet res ſingularis. Exemplum primi, ſubſtantia corporea terminus eſt, cui reſpondet & natura corporea reipſa communis, & natura ſingularis. Exemplum ſecundi. Angelus eſt terminus,

nus,communis cui non respondet natura reuera communis.Nam ex parte rei Angelus,& hic Angelus ęque valent,ex parte dictionis neutiquam. Nam Angelus significat notione communi,hic Angelus notione singulari.

OPPOSITIO PRIMA IN diuisionem termini in communem,& singularem.

✝

DAtur terminus,qui non est communis nec singularis,igitur diuisio est manca. Antecedens ostenditur.Sol,Luna sunt termini,at nec communes,nec singulares,sed medij.

Respondetur,Sol,luna,& similes termini sunt tam communes,quam alij.Nam licet vnum duntaxat designent, apti sunt tamen sua ex impositione multa exprimere, si multa essent. Defectus igitur est ex parte rei,non ex parte impositionis.

OPPOSITIO SECVNDA IN diuisionem termini in communem, & singularem.

Ante omnem rermini diuisionem agendum erat de voce, deficit erga litera. Antecedens probatur ratione, & authoritate. Ratio est hæc, terminus est vox, ergo de voce agendum. Authoritas est vsus in scholis.

Aperio imprimis huius totius hallucinationis causam. existimas opponens, quęcũque ad perfectam rei propositæ, cognitionem conducunt, oportere vt tractentur, dum res proposita exploratur. Et hinc omnis error. Certe omnium, quibus ad perfectam rei propositæ cognitionem est opus, haberi debet cognitio, sed non omnium omni in loco debet tradi, neque est ab omni artifice expetẽda, licet quidem vi mutui ab alijs petere, dum agitur de re magni momenti, fitque operepretiũ, vt refricetur memoria.

His apertis respondetur ad rationem, qua probatur antecedens. Difiteor primo, q̃ terminus sit vox, non est enim magis vox, quam

quã scriptura, vel notio. Proinde nõ magis de voce, quã de scriptura, & notione agendum esset. Difiteor secũdo collectionem, nam si ea collectio valet, valent pari iure sequentes, de voce agendũ, quia terminus est vox, igitur & de sono, quia vox est sonus. tunc vltra, ergo & de qualitate, de accidente, & de ente agendũ, quia sonus est qualitas, & qualitas est accidens, & accidens est ens. Id autem est absurdũ, & omni in loco de omni re agere.

Ad authoritatẽ respõdetur, scholarũ vsus varius est, & parũ constans, & vicissitudinibus obnoxius, & quẽ sub inde mutari videmus, quod vno tempore placet, alio putet, quod vni arridet, alteri displicet. vsus cũ ratione cõiunctus magne est authoritatis.

¶OPPOSITIO TERTIA IN diuisionem termini in communem, & singularem.

Tractandum erat de significatione ex instituto, & a natura, ergo litera deficiens. Añs patet terminus est dictio significans, ergo agẽdum de multiplici significatione.

Respõdetur,eodem vitio laborat opponens significationes vocum,& scripturarũ, quæ positione , & vtentium arbitrio constant,ad grammaticos pertinent. significationes vero notionum,& rerum,quæ a natura in sunt, ad rerum perscrutatores spectant.

In eundem impingunt lapidem , qui de nomine,& verbo sermonem inserunt,pari si quidem ratione de syllabis , & literis doctrina intermiscenda esset.

OPPOSITIO QVARTA IN diuisionem termini in communem, & singularem.

COmplures sunt termini diuisiones , vt puta diuisio termini in absolutum , & connotatiuum,in vniuocum,& ęquiuocũ, & has litera prætermittit, ergo deficiens litera.

Respondetur , quidquid de termino explicatur comparatione ad propositionem explicari debet. Et proinde actũ est de termino,

mino, tam de communi, & singulari. Et mox agetur de notis vniuersalibus,& particularibus,tum de subiecto,attributo, & nexu.hæc enim cognoscendę propositioni inseruiunt,absolutum autem,& connotatiuũ vniuocum,& ęquiuocum, & id genus alia nihil ad propositionem conducunt, non ergo ab re prætermissa.

OBSERVATIO DE NOTIS particularibus, & vniuersalibus.

Aliqui termini dicuntur signa vniuersalia,& quidam alij dicuntur particularia. Signa vniuersalia sunt,vt omnis, nullᵒ. Signa particularia sunt aliquis,quidam.

In hac litera constituitur obseruatio de notis vniuersalibus,& particularibus.

Inter Symenomena seu consignificantia reperiuntur,quæ sunt vniuersalitatis notæ. vt omnis, nullus,& similes. reperiuntur & notæ particulares,siue ex parte,vt quidam, aliquis.

¶QVÆSTIO IN OBSERVA tionem denotis vniuersalibus, & particularibus.

Hę notæ qua ratione hic adducuntur?

¶Adducuntur ad perficiendam quantitatis materiam, quæ in diuisione termini fuit incępta. Nam notę particulares cum termino communi inseruiunt ad componẽdas propositiones ex parte, notæ vero vniuersales ad propositiones ex toto.

OPPOSITIO IN OBSERVA-tionem denotis vniuersalibus & particularibus.

Aliæ sunt notæ, & eas omittit litera, ergo est imperfecta.

¶Respondetur, admittendo alias esse, sunt enim aliæ negandi, aliæ disiungendi, aliæ coniungendi, verum ad propositionis confectionem parum conducunt, nec habent, quod in eis quidquam obseruetur.

OBSERVATIO DE TRIBVS functionibus termini.

In propositione quidam terminus est subiectum, alius prædicatum, & alius copula. Copula est verbum indicatiuum. Subiectum est terminus ante copulã. Prædicatum est

terminus post copulam, qui & dicitur de subiecto.

Signa autem vniuersalia, & particularia supradicta nunqnam sunt subiectum, nec prædicatum.

In hoc contextu proponitur obseruatio de tribus præcipuis functionibus, quas termini in propositione obeunt.

Continentur quattuor partes, in prima numeratur functiones, prima functio est subiecti, secunda attributi, tertia est nexus.

In secunda parte datur indicium, quo subiectum, & attributum agnoscantur. Indicium est ordo a natura, terminus enim, qui verbum natiua serie antecedit, est subiectum, qui vero sequitur, est attributum.

In tertia parte insinuantur deseriptiones. prędicatum, seu attributum est terminus, qui de subiecto effertur. Subiectũ est terminus, qui attributo subijcitur. Nexus est verbum attributũ cum subiecto cõnectens. Sit in exemplũ, bonitas est ens, bonitas est subiectum, ens attributũ, verbũ est nexus.

In quarta parte subiungitur annotatio de cõsignificãtib⁹, Symenomena seu cõsignifican-

ficantia nunquam sunt subiectum, nec attributum, nam per se cõsistunt nunquam, sed coniuncta.

QVÆSTIO PRIMA IN OBseruationem de tribus functionibus termini.

Quotuplex est subiectum, & quotuplex attributum?

¶Subiectum & attributum quandoque simplicia sunt, quandoque composita. Exẽplum de simplicibus. Virtus est bonum. Exemplum de compositis. quod est summum, bonum est propter se diligendum.

QVÆSTIO SECVNDA IN obseruationem de tribus functionibus termini.

Quotuplex est verbum?

¶Duplex est verbum, seu nexus, primo est verbum subsistens, vt Plato est animal. Secundo est verbum adiectum, vt Plato docet. & si verbum adiectum in subsistens dis-

soluitur

ſoluitur, manifeſtum eſt tunc attributum.

¶QVÆSTIO TERTIA IN obſeruationem de tribus functionibus termini.

Dictiones conſignificantes poſſunt ne eſſe partes ſubiecti, vel attributi?

¶Poſſunt, ſi inter partes ſubiecti vel attributi inſerantur. de claro exemplo, omnis homo eſt animal. Sola dictio homo eſt ſubiectum, omnis vero pars ſubiecti neutiquam eſt. Socrates fuit Philoſophus, omni virtute prædictus. hic omni eſt pars attributi, nam inter eius partes inſeritur. Adfero aliud exemplum de negatione. Planta non eſt animal, hic negatio nec ē pars ſubiecti, nec attributi. Peccatum eſt ens non ens in ente, hic negatio eſt pars attributi.

¶OPPOSITIO PRIMA IN obſeruationem de tribus functionibus termini.

Notæ vniuerſales, & particulares exercēt

munus in propositione,& non subiecti,attributi,nec verbi,igitur manca est litera.

Respondetur admittendo maiorem, & collectionem difitendo,in litera enim præcipue functiones notantur, & sine quibus propositio esse non potest.

OPPOSITIO SECVNDA in obseruationem de tribus functionibus termini.

†

In hoc axiomate,Plato philosophorum omnium præstantissimus fuit, subiectum & attributum præcedũt verbum, & in hoc fuit Plato philosophorum omnium præstantissimus subiectum, & attributum sequuntur verbum,fallax ergo est indicium literæ.

Respondetur ad añs, in primo axiomate præcedunt, & in secundo sequuntur prolatione tantum, non sensu, nam ordine a natura semper subiectum antecedit,& attributum sequitur.

Doctrina

¶DOCTRINA DE PRÆdicabilibus, & primo de diuisione prædicabilium.

Prædicabilia sunt quinque scilicet genus, species, differentia, propriũ, & accidens.

In hoc contextu traditur doctrina de prædicabilibus. Prædicabile, vniuersale, vniuersum ęque valent. Prædicabile diuiditur in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Definiri potest prædicabile, eo modo, quo terminus communis, prædicabile enim, & terminus cõmunis ęque pollent. Si placet alijs verbis, descriptio sit ista, prædicabile est, quod aptum est de multis efferri vna ratione. per particulam vna ratione excluditur singulare, quod, si de multis effertur, diuersa ratione de illis effertur.

QVÆSTIO PRIMA IN DIuisionem prædicabilium.

Prædicabile quot modis sumitur?

In lul-

In Lulliana ſchola dupliciter ſumitur. Eſt primo prędicabile, aut alio nomine vniuerſum, rei, ſecundo prædicabile, ſeu vniuerſum, rationis. Vniuerſum rei eſt natura reuera exiſtens, multis rei participio impertiri apta. In exemplum eſt natura elementalis, quæ & re ipſa eſt, & re ipſa in lapides, & metalla diuiſa. Vniuerſũ rationis eſt, quod eſt aptum Synonymos de multis aſſeri. Hoc ad Dialecticũ pertinet, illud vero ad phyſiologum.

¶QVÆSTIO SECVNDA IN diuiſionem prædicabilium.

Prędicabilia ſub quo capite cõtinentur? ¶Sub termino continentur, nam termini ſunt, ex quibus axiomata, & argumentationes conficiuntur.

¶OPPOSITIO PRIMA IN diuiſionem prædicabilium.

Omittit litera prędicabilis finitionem

ergo

ergo manca est in docendo.

Respondetur omissa est hic, superius enim est iam adducta. Nam termini communis, & prædicabilis eadem est finitio.

OPPOSITIO SECVNDA in diuisionem prædicabilium.

Ex abrupto litera in sermonem de prædicabilibus incidit, videtur ergo ieiuna, & parum methodica.

Respondetur, negando antecedẽs, nam vbi de termino communi tractatum est, actum est tunc de prædicabili. Et diuisio prędicabilis est diuisio termini cõmunis. terminus enim communis quintuplex est genus, species, differentia, proprium, & accidens.

¶DEFINITIO GENERIS.

Genus est ens, quod prædicatur de pluribus differentibus specie.

Hic definitur primũ ex vniuersis. genus est

eſt ens, aptum dici de multis, ſpecie diſtinctis. In hac finitione eſt ens loco generis, aptum dici de multis excludit ſingularia. Specie diſtinctis excludit alia vniuerſa. Exẽplum de genere, color eſt genus, nam eſt ens aptũ efferri decandore, & nigritie, quæ ſpecie differunt. Metallũ item eſt genus ad aurum, & argentum.

¶QVÆSTIO PRIMA IN definitionem generis.

Qua ratione in generis deſcriptione exprimitur ens?

Ens exprimitur, vt non termino, videlicet voci, ſcripturæ, & notioni rationem generis tribuas, ſed enti ſignificato per terminum, enti enim ſignificato prędicabilis ratio hæret. Et ratione ſignificati accommodatur termino ſignificanti.

¶QVÆSTIO SECVNDA IN definitionem generis.

Quotuplex eſt genus dialecticum?

Genus

Genus Dialecticũ (nam de Physico naturæ Philosophi differunt) est duplex summum, et medium. Summũ, generalissimũ, omnino generale, & supremum ęque valent. Medium, interiectum, alternum, non omnino generale nec omnino speciale idẽ pollent.

Genus summum est, quod super se non habet aliud genus. Exemplum, ens est genus summum, nam supra ipsum aliud non est. Genus medium est, quod genus super eminens habet. Vt animal est genus intermediũ, nam ipsi est super eminens corpus.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM generis.

Irrationale effertur de multis specie distinctis, & non est genus, ergo finitio generis est inepta. Assumptio est manifesta. Propositio ostenditur, irrationale effertur de leone, & boue, Bos autem, & leo specie differunt.

Respõdetur, bos & leo ad irrationale cõparati non differũt specie, nam in eo aspectu non sunt species diuersę, sed in ordine ad

ad genus,nempe ad animal sunt species, & inter se distinctæ. Si tamen argutiola non placet,supple in definitione particulā quid, & liberaberis ab omni scrupo.

¶DEFINITIO SPECIEI.

Species est ens, quod prædicatur de multis numero differentibus.

In hac litera describitur species,prædicabile de multis numero distinctis. Exēplū, homo est species, nam est prædicabile de Paulo,& Socrate,qui numero differunt. Vt speciei finitio apertior fiat, annotabis, speciem duplicem habere comparationē, ad genus vnam,ad indiuidua alteram.Species comparatione ad genus nomen habet speciei,comparatione ad indiuidua nomē prædicabilis.In litera ergo describitur comparatione ad indiuidua, videlicet vt prædicabile,non vt species.

¶QVÆSTIO PRIMA IN definitionem speciei.

Quid est species comparatione ad genus.

Est

Est pars generis subiecta. Vt homo est species animalis, nam est pars eius, & pars subiectitia, non constituens.

¶QVÆSTIO SECVNDA IN definitionem speciei.

Quotuplex est species, vt species, siue cõparatione ad genus?

Species ad genus comparata est duplex, media, & infima.

Species media est, quæ genus esse potest, vt animal est species media, nã est species corporis, & genus hominis.

Species infima est, quæ genus esse non potest, vt leo est species infima, nam est species animalis, & quæ non est genus.

¶QVÆSTIO TERTIA IN definitionem speciei.

An species vt prædicabile sit duplex media scilicet, & infima.

Species vt prędicabile distinctum non est duplex, nam quę media est, cum genere

perpetuo hæret. Sola infima est prædicabile distinctum.

¶QVÆSTIO QVARTA IN definitionem speciei.

Quot modis aliqua differunt?

Hui' quęstionis explicatio ad intelligẽdas generis, & speciei finitiones plurimum confert, tribus modis aliqua differunt, genere, specie, & numero.

Genere differunt diuersa genera, vel diuersorum generum species, vel diuersorũ generum indiuidua. Exemplum primi animal & metallum genere differunt. Exemplum secũdi, homo & aurum. Exemplum tertij, hic homo & hoc aurum.

Specie differunt diuersæ species, vel diuersarum specierum indiuidua. Exemplũ primi homo & leo specie differunt. Exemplum secundi hic hõmo, & hic leo.

Numero differũt diuersa indiuidua eiusdem speciei, vt Plato, & Socrates, nã sunt singula distincta, sed sub eadem specie.

Opposi-

¶OPPOSITIO PRIMA IN definitionem speciei.

Ens est prædicabile de multis numero distinctis,& non est species,igitur finitio speciei est manca. Maior ostenditur, effertur de Paulo,& Ioanne,qui numero differunt.

Respondetur consecutionem negando, nam in finitione speciei sub intelligi debet tantum, vel proxime.Et ita ens effertur de numero distinctis,sed nec tantum,nec proxime.

OPPOSITIO SECVNDA in definitionem speciei.

Animal est species,& non effertur proxime de numero distinctis, ergo speciei finitio est inualida.Maior est nota,nam est species corporis.

Respondetur, deceptio est ex parte maioris.Nã in oppositione species sumitur quatenus species, & comparatione ad genus. In litera vero describitur quatenus prædicabile,& comparatione ad singula.

¶OPPOSITIO TERTIA IN definitionem speciei.

Insurget quispiam ilico clamans, detrũcasse nos contextum inexcussa enim editione habetur frustulum sequẽs, hęc enim definitio non habet in omnibus veritatẽ, nisi in specie humana, & brutis animalibus. In angelis autem, cælis, elementis, & in quodam animali, quod phenix dicitur, non est vera, quia quodlibet istorũ est suamet species, & saluatur in vno indiuiduo.

Respondemus, primo hoc frustulũ non habetur in exemplaribus, sed neque in omni impressione, sed in vna tantum.

Secundo frustulum continet duo mendacia. primum est finitionem speciei non conuenire nisi homini, & beluæ, cum conueniat plãtis, metallis, & alijs id genus mille. Secundum mendacium est, finitionem speciei angelis, cælis, elementis, & phęnici non conuenire, cum illis conueniat perinde atq; homini, & bruto. Et in ratione, quæ ad tuendum secundum mendacium assignatur, est mira hallucinatio, transitur enim

ab

ab ſpecie phyſica ad Dialecticam.

Tertio datum fruſtulum eſt alienum, & intempeſtium.

¶DEFINITIO DIFFERENTIÆ.

Differentia eſt ens, per quod quædam ab alijs differunt.

In hoc contextu deſcribitur differentia, differentia autem duplici conſideratione tractatur, primo vt differentia, ſecundo vt prædicabile. In litera definitur, quatenus eſt differentia. Sit in exemplum, rationale eſt differentia, nam id eſt, quo homo ab alijs differt. Per ſe eſt differentia, nam ſubſtantiam ab accidente diſtinguit.

QVÆSTIO IN DEFINITIONEM differentiæ.

Quid eſt differentia, vt prædicabile?

Eſt prædicabile, in quale ſubſtantiale. vt ſentiens eſt differentia, nam effertur in quale, & illud internum, ac ſubſtantiale. Effer-

tur in quale internum, quęrẽti enim quale est animal substãtialiter, atque intrinsecus, apte respondetur, est sentiens.

OPPOSITIO PRIMA IN definitionem differentię.

Calor est id, per quod ignis differt ab aljs elementis, & non est differentia, ergo differentiæ finitio est manca. Minor probatur, est accidens, non ergo differentia.

Respondetur, negando minorem. & ad probationem negatur collectio. nam in litera sumitur differentia, vt differentia, & in oppositione sumitur, vt prædicabile, aut sub intellige in definitione substantialiter differunt.

¶OPPOSITIO SECVNDA in definitionem differentiæ.

Differentia, per quã Plato differt a Paulo, est differentia, & non effertur de multis in quale, ergo nihil valet finitio differentiæ

vt

vt prædicabile est. Assumptio probatur, est singula, & priuata vnius, non ergo est prędicabile.

Respondetur, litera meminit de differẽtia vniuersa, & opponens agit de singula. vel litera agit de differentia, vt differentia (eo enim aspectu communem, & singularem amplectitur) & opponens agit de ea, vt prædicabile.

DEFINITIO PROPII.

Proprium est id, quod vni conuenit, & alij non. Vt homini, ęq sit risibilis, cani, ęq sit latrabilis.

In hoc contextu definitur proprium. id autẽ dupliciter animaduertitur, quatenus proprium, & quatenus prædicabile, quatenus proprium describitur in cõtextu, quod vni conuenit. Vt risiuum est propriũ, nam soli homini conuenit.

¶QVÆSTIO IN DEFINITIONEM proprij.

Quo pacto definitur proprium, quatenus prædicabile?

Deſcribitur hoc pacto, prędicabile in quale, accidentarie, & indemutabiliter. prædicabile in quale excludit genus, & ſpeciem, accidentarie excludit differentiam, inde mutabiliter excludit accidens. Sit in exemplum, latratile eſt proprium, nam effertur de cane, inquale, accidentarie, & indemutabiliter In quale, qualis enim eſt canis, eſt latratilis. Accidentarie, nam prædicatio hæc canis eſt latratilis, accidentaria eſt, & indemutabiliter, canis enim indemutabiliter eſt latratilis.

¶OPPOSITIO PRIMA IN definitionem proprij.

Eſſe bipedem eſt proprium homini, & non conuenit ſoli, ergo proprij finitio eſt inualida.

Reſpondetur inficiando maiorem, imo eſſe bipedem eſt commune homini, & aui.

OPPOSITIO SECVNDA in definitionem proprij.

Eſſe geometram conuenit vni homini, & non

non eſt proprium, peccat ergo finitio proprij. Minor probatur duplici argumento, primo non conuenit omni homini, ergo non eſt proprium, Secundo, non prædicatur indemutabiliter, & perpetuo, ergo non eſt proprium.

Reſpondetur difitendo minorem. & ad primam probationē minoris difiteor añs, ſat eſt vni conueniat.

Ad ſecundam probationem reſpondeo, tranſitur a ratione proprij ad rationem prę dicabilis.

DEFINITIO ACCIDENTIS.

Accidens eſt, quod nec in ſe, nec per ſe exiſtere poteſt.

In hac litera eſt accidentis deſcriptio, nō quatenus eſt prędicabile, ſed quatenus eſt accidēs. Eſt q̃dē tā exile, vt nec in ſe, nec p ſe manere poſsit, quin alteri incumbat. Exē plum, calor eſt accidens, nam nec in ſe, nec per ſe, ſed in ſubſtantia, & per ſubſtantiam exiſtere poteſt.

QVÆSTIO IN DEFINI-tionem accidentis.

Quid eſt accidens, quatenus vniuerſum? Eſt prędicabile in quale, accidentarium, & mutabile. Vt frigidum eſt accidens, nam effertur in quale, accidentariũ, & mutatile.

¶OPPOSITIO IN DEFINI-tionem accidentis.

Hæc albedo eſt accidens, & non eſt prædicabile, ergo deficit accidentis deſcriptio. Maior probatur, non eſt ſubſtãtia, ergo eſt accidens, minor eſt perſpicua.

Reſpondetur diſtinguendo maiorẽ, hæc albedo eſt accidens, quatenus accidens, nõ tamen eſt accidens, quatenus prædicabile, ſed eſt ſingulare.

DOCTRINA DE PRÆ-dicamentis.

✝

Prædicamenta ſunt decem ſcilicet ſub-ſtantia,

ſtantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, paſsio, ſitus, habitus, tempus, & locus.

Corporea	*ſubſtantia*	*incorporea.*
Animatũ	*corpns*	*inanimatũ.*
Senſibile	*corpus animatũ*	*inſenſibile.*
Rationale	*animal*	*irratiõale.*
Hic	*homo*	*ille.*

Sicut eſt facta iſta arbor in prædicamento ſubſtantiæ, ita poteſt fieri in alijs prædicamentis, propter hoc, vt appareant adſenſum ea, quæ ſunt ſuperiora, & inferiora in quolibet prædicamento, vt per talem cognitionem melius poſsit homo rerum veritates inquirere, & eas facilius inuenire.

In hoc contextu fit per tranſcurſum ſermo de categorijs. Sunt tres partes, in prima parte proponitur diuiſio, prędicamentum, ſeu categoria in decem diſpeſcitur. prędicamentum, græce categoria dicitur, categoria autẽ dupliciter ſumitur, primo eſt capitale genus ſub ſe continens varias claſſes, & hoc pacto ſumitur in litera, in ea enim ſignificatione ſunt decẽ. ſecũndo eſt claſsis męrẽs ſub aliquo ex dictis decẽ generibus.

In

In ſecunda parte deſcribitur claſsis ſubſtantiæ, in ea ſunt genus, & ſpecies in recta linea, a latere ſunt differentiæ communes, a latere vero loci poſtremi ſunt hic & ille loco differentiarum ſingularium.

In tertia parte ſubiungitur commodum claſsis deſcriptæ ad cognoſcendum ordinem ſuperioris & inferioris, vt ſciamus genera, & ſpecies legitima methodo conſtituere, ea enim ex ſerie verum facilius aſſequemur.

QVÆSTIO IN DOCTRINAM DE PRÆDICAMENTIS.

Quæ eſt vnius cuiuſq; categorię finitio?

Subſtantia ſic definitur, eſt ens, quod perſe exiſtit, quod ſcilicet nulli inhęret, nec aptum eſt inhærere. Exemplum, Plato eſt ſubſtantia, nam per ſe exiſtit, id eſt nulli ineſt, nec poteſt ineſſe.

Quantitas eſt accidens, quo ſubſtantia eſt quanta. Exemplum, dimenſio Platonis eſt quantitas, nam eſt accidens, quo Plato eſt quan-

quantus, extenſus ſcilicet.

Qualitas eſt accidens ſtatum rei indicãs. Exemplum, philoſophia Platonis eſt qualitas, nam eſt accidens ſtatum Platonis indicans. deſignat ſane illum in ſtatu philoſophorum.

Relatio eſt accidens pluralitatem neceſſario indicans. Exemplum, paternitas Platonis eſt relatio, nã eſt accidens, quod multitudinem neceſſario notat, notat enim filiationem, ad quam non poteſt nõ referri.

Actio eſt accidens, quo agens eſt agens. Exemplũ, calefactio Platonis eſt actio, nã eſt reſpectus, quo Plato agnominatur agẽs nempe calefaciens.

Paſsio eſt accidens, quo patiens agnominatur patiens. Exemplum, verberatio Platonis eſt paſsio, nam eſt reſpectus, quo Plato dicitur patiens, nempe verberatus.

Situs eſt accidens, quo res ſita appellatur. Exemplum, ſtatio Platonis eſt ſitus, nã eſt accidens, quo Plato ſitus, videlicet ſtans, nuncupatur.

Habitus eſt reſpectus indumenti ad rem indutam. Exemplum, pallium Platonis eſt habi-

habitus,nam in pallio eſt reſpectus ad Platonem indutum.

Tempus eſt accidens,quo ſubſtantia eſt incepta,& mota. Exemplum, duratio qua Plato incepit eſſe,& moueri,eſt tempus.

Locus eſt accidens, quo vnum collocatur in alio.Exemplum, reſpectus Platonis contenti in aere ad aerem continentem,& contra,eſt locus.

OPPOSITIO IN DOCTRI. nam de prædicamentis.

✝

In doctrina de categorijs nuda diuiſio propoſita eſt, at de definitionibus, de que exemplis ne verbum quidem, ſuccincta ergo nimis,& arida.

Ne mireris opponens de tãta breuitate, poſtulãt categorię grauiorem in daginẽ, quã cõpendiũ velit. hic autem compendiũ traditur. in dialectica noua tractantur quam latiſsime.ſatis ſuperque eſt hic memoriam de illis feciſſe.

CAPVT SECVNDVM DE propositione, & primo de propositionis finitione.

Propositio est oratio ex terminis constituta, significans aliquid esse, vel non esse, vt bonitas est magna, auaritia non est bona.

Hactenus de primo capite egimus, de termino scilicet, & de his, quæ ad terminum pertinent. Occurrit secundum caput, propositio scilicet. fit autem a termino ad propositionem transitio doctrinæ, naturæ, & syntheseos methodo, vide interim de methodo instrumentum.

Propositio, axioma, enunciatio, proloquiũ, effatũ, pronuntiatũ, ęque valent. Describitur ita, est oratio ex terminis cõstituta indicans aliquid esse, vel non esse. in hac finitione sunt tres particulę. Prima particula est oratio. Quid oratio sit, & quotuplex, grammaticos consule. Secunda particula est, ex terminis constituta videlicet ex subiecto, attributo, & uerbo. Tertia particula est, indicans aliquid esse, dum affirmat, vel nõ esse, dum negat.

Illu=

Illustratur exemplo finitio, hæc oratio bonitas est magna propositio dicitur, vel enuntiatio, nam est oratio ex terminis constituta, indicans esse, magnum scilicet bonitati inesse. Auaritia non est bona, est axioma indicans non esse, bonum scilicet auaritię non conuenire.

¶QVÆSTIO PRIMA IN definitionem propositionis.

Quæ oratio axioma a logicis dicitur?

Oratio apud grammaticos est bipertita in imperfectam, & perfectam. Imperfecta alienа est prorsus ab instituto. Rursus orationes perfectæ varie sunt, indicantium, interrogantium, admirantium.

His annotatis sit conclusio, sola modi indicantis oratio axioma dicitur, nam ea sola indicat aliquid esse, vel non esse. Et eadem sola est veri, falsique particeps.

¶QVÆSTIO SECVNDA IN definitionem propositionis.

Quot termini sunt in axiomàte quolibet?

Tres

Tres, subiectum scilicet, attributum, & verbum. Quid (inquies) de attributo in his axiomatis angelus est, & Plato currit? latet in verbo inclusum.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM propositionis.

Oratio hæc quid non facinoris fecit? est propositio, & non indicat aliquid esse, vel non esse, ergo propositionis finitio est inualida. Maior probatur, perinde valet atq; omne facinus fecit, ergo est propositio. Minor ostenditur, est interrogatio, non est igitur enunciatio.

Respondetur, & si interrogatio sit, at vim habet enunciationis. Inspiciendus est sensus, non sermo. Sępe vsurpatur modus pro modo, & tempus pro tempore per enallegen.

DIVISIO PROPOSITIONIS in veram & falsam.

Propositio est duplex, vera, & falsa propositio vera est illa, quæ significat sicut est, vt iustitia est virtus. propositio falsa est illa

quæ sicut ipsa significat, non est, vt bonitas est mala, homo non est ens.

Hæc litera duas habet partes, prima cõtinet propositionis diuisionem in veram, & falsã. Hic non agitur de rei veritate, quæ ipsi enunciationi ascitur.

Secunda pars cõtinet descriptiones axiomatis veri, & falsi. propositio vera est, quæ significat, sicut in re est. falsa est, quæ significat aliter, quã in re est. Exemplum de vera, iustitia est virtus, est axioma verum, nã indicat, vt res se habet. Indicat enim ipsi iustitię rationem virtutis inesse, & ita est. Exemplum de falsa, bonitas est mala, est axioma falsum, nam rationem mali cum bonitate copulat, & non est ita in re.

¶QVÆSTIO IN DIVISIONEM propositionis in veram, & falsam.

✝

Quotuplex est veritas?

Est

Est duplex altera rei, altera axiomatis, veritas rei rebus inest, ex hac pendet veritas axiomatis, quæ in consensu propositionis cum re sita est. Exemplum de veritate rei, aurum dicitur verum veritate rei, & differt ab auricalco, quod est aurum falsum, Exemplum de veritate axiomatis homo est animal, est axioma verum ob consonantiam, quam habet cum rei veritate.

OPPOSITIO IN DIVISIONEM propositionis in veram, & falsam.

Plato curret est propositio, at nec vera, nec falsa, nõ valet ergo diuisio. Minor probatur, pendet a futuro euentu, ergo nec vera, nec falsa.

Respondetur negando minorem, & ad probationem negatur collectio, euentus enim futurus nihil impedit, quomin° axioma sit verum, vel falsum.

¶DIVISIO PROPOSITIONIS in necessariam, & contingentem, possibilem, & impossibilem.

Omnis propositio est necessaria, possibilis impossibilis, vel contingens.

Necessaria est illa, quæ sic est vera, quod nullo modo potest esse falsa. Vt dicẽdo Deus est æternus. Homo est animal.

Possibilis est illa, quæ potest esse, vt homo erit scholarius. Homo non erit cerdo.

Sed quando potest esse, & non esse est cõtingens. vt Galcerandus est scholarius, galcerandus est sutor.

Impossibilis est illa, quæ significat rem, quæ nullo modo potest esse, vt homo est irrationalis, homo non est animal.

In hoc contextu diuiditur propositio penes quatuor axiomatũ affectiones, & sunt necessarium, possibile, contingens, & impossibile. Quatuor partes traduntur, in prima describitur propositio necessaria, est propositio vera, quæ nullo modo potest esse falsa. Exemplum Deus est ęternus. homo est

mo eſt animal, nam hæ duę ſunt vſq; adeo verę, vt falſæ nullo pacto eſſe poſsint.

In ſecunda parte deſcribitur poſsibilis, eſt propoſitio, quæ poteſt eſſe vera, vt Plato erit cerdo. Paulus eſt omnium ſapiẽtiſsimus.

In tertia parte deſcribitur contingens, eſt propoſitio quæ poteſt eſſe, & non eſſe, quę ſcilicet poteſt eſſe vera, & falſa, vt Plato eſt iuſtus.

In quarta parte deſcribitur impoſsibilis eſt propoſitio falſa, quæ nullo modo poteſt eſſe vera, vt homo eſt rarionis expers.

¶QVÆSTIO IN PROPOSITIONẼ contingentẽ, & poſsibilem.

Poſsibile, & cõtingens quo pacto differũt?

Poſsibile ex vi nominis reſpicit eſſe, contingens vero eſſe, & non eſſe. et propoſitio poſsibilis dicitur, quæ vera eſſe poteſt. contingens, quæ vera, & non vera eſſe poteſt.

OPPOSITIO IN DIVISIONEM propoſitionis in neceſſariam, poſſibilem contingentem, & impoſsibilem.

Deus res eſt neceſſaria, & non eſt propo

sitio vera, ergo necessarij finitio est inualida. vtraq; pars antecedentis est manifesta.

Respondetur necessarium, possibile, cõtingens, & impossibile tum rerum, tum enunciationũ sunt apposita. in maiore sumitur necessarium, vt rei appositum, in litera sumitur, vt axiomatis.

¶DOCTRINA DE PROpositione categorica, & primo de eius finitione.

Propositio duobus modis dicitur, quædã est categoria, & alia hypotetica.

Propositio categoria est oratio vna, in qua est subiectum, prædicatum, & copula, vt Deus est æternus.

In hac litera agitur de propositione categorica continentur duæ partes. in prima est hęc diuisio, propositionum alia est categorica, siue simplex, alia est hypothetica, siue connexa.

In secũda parte describitur categorica his verbis, est oratio vna, constans subiecto, attributo

tributo,& verbo.Hypothetica ſiue connexa eſt,quæ ex multis categoricis cōflatur. Exemplum de categorica. Deus eſt æternus,nam eſt vna oratio,non multę,ex ſubiecto,verbo,& attributo coalita.

¶QVÆSTIO IN DEFINITIONEM propoſitionis categoricæ.

Propoſitio categorica qua ex parte eſt agnoſcenda?

Potiſsimū agnoſcenda eſt ex parte ſubiecti,& attributi.Si vnum eſt ſubiectum,& vnum itidem attributum,cenſenda eſt propoſitio ſimplex, ſeu categorica. Si multa, habeatur pro hypothetica.Sit in exemplū, hęc propoſitio omne animal eſt rationale vel irrationale eſt categorica,& vera, ſi attributum ſit vnum.Si multa fiant,eſt hypothetica,& falſa.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM propoſitionis categoricę.

Hæc propoſitio elementum,quod per ſe

est calidum, calefacit, est categorica, & verbo non constat, ergo inualida est descriptio categoricæ. Maior est manifesta. Minor patet, nam constat duplici verbo.

Respondetur ad probationem minoris, vnum est dumtaxat verbum præcipuum, quod scilicet attributum cum subiecto copulat. alterum verbum est minus principale, & pars quædam subiecti.

DIVISIO PROPOSITIONIS categoricæ quoad quantitatem.

Propositio categorica est quadruplex, scilicet vniuersalis, particularis, indefinita, & singularis.

Vniuersalis est illa, cuius subiectum est terminus communis additus signo vniuersali. vt omnis potestas est bona. Propositio particularis est illa, cuius subiectum est terminus communis additus signo particulari. vt quædam bonitas est magna. propositio indefinita est illa, cuius subiectum est terminus communis. Propositio singularis est illa, cuius

ius ſubiectum eſt terminus diſcretus, vel terminus communis iunctus pro nomini demoſtratiuo. Exemplũ primi, vt Ieſus Chriſtus eſt Deus homo. Exemplum ſecundi, vt iſte homo eſt Theologus.

Hic diuiditur propoſitio categorica penes quantitatem. habẽtur duæ partes. in prima traditur quadripartita diuiſio, propoſitionũ alia eſt vniuerſalis, alia eſt particularis, alia indefinita, & alia ſingularis. Propoſitio vniuerſalis, vniuerſa, ex toto ęque pollent. Propoſitio particularis, ſpecialis, ex parte idem ſunt. Propoſitio inde finita, græce a diaphora dicitur.

In ſecunda parte deſcribuntur ſingula diuiſionis membra. Propoſitio vniuerſalis eſt, cuius ſubiectum eſt terminus cõmunis cũ nota vniuerſi, vt quilibet homo eſt ſentiens, nulla virtus eſt reijcienda. Propoſitio particularis eſt, cuius ſubiectum eſt terminus cõmunis cum nota particulari, vt aliquis homo currit. Propoſitio indefinita eſt, cuius ſubiectum eſt terminus cõmmunis cum nulla nota, vt homo eſt viuens. Pro-

positio singularis est, cuius subiectum est terminus singularis, aut communis cum pronomine demostrante. Exemplum primi, Plato est homo. Exemplum secundi, hic homo est magnæ eruditionis.

¶QVÆSTIO PRIMA IN diuisionem propositionis categoricæ quoad quantitatem.

Qua ex parte quantitas propositionis de sumitur?

Ex parte subiecti, quod aut commune est, aut singulum. Si singulum, fit propositio singularis. Si cõmune, aut nulla est nota affectũ, & ita propositio indefinita exurgit, aut est cum aliqua nota, si cum vniuersali, fit axioma vniuersale. Si cum particulari, axioma ex parte. Si cum singulari, singulare.

QVÆSTIO SECVNDA IN diuisionem propositionis categoricæ quoad quantitatem.

Qua ratiõe propositio vocatur indefinita?

Qua

Quia ad omnem ſenſum eſt flexibilis, nunc ſenſum reddit vniuerſalem, virtus eſt appetibilis, nunc particularem, vt homo diſputat, nunc ſingularem, vt adeſt homo, quaſi ille, de quo agimus.

¶ OPPOSITIO PRIMA IN diuiſionem propoſitionis quoad quantitatem.

Quid dici poteſt argutius? hæc interrogatio eſt propoſitio vniuerſalis, & non eſt ibi ſubiectum commune cum nota vniuerſali, inepta eſt ergo deſcriprio propoſitionis vniuerſalis.

Reſpondetur, in his ad ſenſum eſſe confugiendum, & ad vſum ſermonis dominũ, non ad verba ipſa. Data igitur interrogatio ſenſu eſt vniuerſalis, & valet, nihil dici poteſt argutius. Sępe pronuntiatur vniuerſe prouerbiali figura, vt iuueneſq; ſeneſq;, id eſt omnes. Nec magnum, nec paruum, id eſt nihil. Enunciationes adductæ ſunt reuera vniuerſales. Occurrunt contra enuntiationes verbo vniuerſales, ſenſu neutiquam. Exemplum, cuncti ſimul lauda-

laudarunt, id est isti omnes. Non est tibi res cum quolibet homine, quasi dicas est tibi res cum homine singulari, ac præcipuo.

¶OPPOSITIO SECVNDA in diuisionem propositionis categoricæ quoad quantitatem.

Animal est genus est propositio, & nulla ex quatuor adductis, igitur diuisio quoad quantitatem est manca. Maior est manifesta. Minor probatur, si vlla ex quatuor esset, potissimum indefinita esset, at non est indefinita, ergo nulla ex quatuor. maior est nota ex descriptione propositionis indefinitæ. Assumptio ita ostenditur, si indefinita esset, fieri posset vniuersalis, particularis, vel singularis, at fieri nõ potest vniuersalis, omne animal est genus, nec particularis, aliquod animal est genus, nec singularis hoc animal est genus, omnibus enim his sensibus est propositio falsa, ergo data propositio non est indefinita.

Respondetur negando minorẽ, & ad probatio-

bationem difiteor maiorem, nã data propositio licet verbo indefinita videatur, sensu est singularis, & vim habet singularis.

¶DIVISIO PROPOSITIONIS categoricæ penes qualitatem.

Item propositio categorica est duplex, scilicet affirmatiua, & negatiua.

Affirmatiua est, illa, cuius prædicatum subiecto attribuitur, vel attribui videtur, vt homo est creatus. Negatiua est illa, cuius prædicatum est subiecto remouetur, uel remoueri uidetur, ut homo non est lapis.

Logicus utitur tribus petitionibus in propositione scilicet quæ, qualis quãta, per quæ quæritsi, propositio est categorica, uel hypothetica, per quanta quærit si est uniuersalis, particularis, indefinita, uel singularis, per qualis autem si est affirmatiua uel negatiua.

In hac litera diuiditur propositio categorica penes qualitatem, continentur tres partes, in prima parte asignatur propositio

nis diuisio in affirmatiuam, & negatiuam, propositio affirmatiua dici solet, propositio aiens, affirmatio, & compositio. propositio negatiua, negans, negatio, & diuisio.

Pars secunda duas tradit finitiones, affirmationis videlicet, & negationis, propositio affirmatiua est propositio categorica, cuius prædicatum subiecto attribuitur, vel attribui videtur. Exemplum de vtraque homo est animal, homo est rationis expers. propositio negatiua est, propositio categorica, cuius prædicatum a subiecto remouetur, aut remoueri videtur. Exemplũ vtriusque, homo non est lapis, homo non est sentiens.

Tertia pars tres quęrendi notas asignat, quibus de propositione perquiri solet, prima est quæ, & quærit num propositio categorica, an hypothetica sit. Secunda est quãta, & quærit an sit vniuersalis, ex parte, indefinita, an singularis. Tertia est qualis, & inuestigat affirmatio, an negatio sit.

QVÆSTIO PRIMA IN DIuisionẽ propo. categoricę penes qualitatẽ.

Qualitas propositionis qua ex parte pendet.

pendet?

Ex parte verbi præcipui. si asseritur, est axioma aiens, si negatur, est axioma negãs. vt homo, qui non est disciplinis prędítus, est in paruo habendus prętio, hoc axioma est aiens, nam verbum præcipuum asseritur, licet alterum negetur.

¶QVÆSTIO SECVNDA IN diuisionem propositionis categoricæ penes qualitatem.

Quot sunt genera negationum?

Tria reperiuntur, primum est negatio, quæ negat. vt, nullus homo est belua, & hęciola axioma negans conficit. Secundum est negatio, quæ priuat, vt, Plato est iniustus. Tertium est negatio, quæ infinitum reddit, vt, peccatum est non ens.

Quæ res ilico, & quid intereſt inter ea genera? Negatio, quæ negat omnia post se tollit, & nihil constituit. Negatio quæ priuat, partim tollit, partim constituit. Negatio quæ infinitum reddit, nihil constituit, at vim suam in ea dictione, cui

cui ad iungitur, exhaurit. Exemplũ primi, nullus homo ambulat, hic est negatio negans, quæ nihil constituit, vimq; suam in subiectum, verbũ, & attributum dispergit. Exemplum secundi, iniustus, hic est negatio priuans, quæ tollit iustitiam, astruit tamen aptitudinem ad illam. Exemplum tertij, non ens est contradicens enti. hic negatio infinitum reddit, nam nihil constituit, vis tamen eius in ente sistit, in verbum, & atributum non peruenit.

OPPOSITIO IN DIVISIONEM propositionis categoricę penes qualitatem.

Hoc axioma non erit tibi res cum quolibet homine, non est negans, nam vim habet aientem, nec est aiens, nam habet negationem, ergo data finitio est in efficax.

Respondetur datum axioma sensu est aiens, in eo q; negatio suã vim nõ exercet.

¶DIVISIO PROPOSITIONIS categoricæ extremi coniuncti.

Text. Categorica est duplex, quædam est dedis iun-

iũcto extremo, alia de copulato extremo.

Illa est, categorica de disiuncto extremo, in cuius subiecto, & prædicato ponitur disiunctiua coniunctio, vt bonitas vel magnitudo est per se magna. vel dicendo sic, homo est animal vel lapis.

Illa categorica est de copulato extremo, in cuius subiecto, & prædicato est copulatiua cõiunctio, vt bonitas & magnitudo sunt amabiles, uel dicendo sic, bonitas est magna, & potens.

Et aliquando est categorica de vtroque extremo disiuncto vel copulato, & aliquãdo de vno extremo coniuncto & alio copulato.

In hac litera agitur de categorica extremi coniuncti, habentur quatuor partes, in prima parte latent duæ diuisiones propositionis categoricæ, prima diuisio est in simplicem, & compositam. Simplex dicitur, quæ ex subiecto, verbo, & attributo simplicibus constat, vt, virtus est amplectẽda. Cõposita, cuius pars aliqua composita est, vt, Plato & Socrates sunt homines. Subiectũ huius est compositum, illud scilicet Plato & Socrates. Secunda diuisio est hæc, pro-

positio categorica & cōposita, alia est ex vno extremo disiuncto, alia ex vno copulato, alia ex vtroque disiuncto, alia ex vtroque copulato.

In secunda parte describitur propositio categorica vnius extremi disiuncti, est, in cuius subiecto, vel attributo disiunctio aliqua inseritur, exēplum de categorica subiecti disiuncti, Plato, vel Paulus est ambulans. Exemplū de categorica attributi disiūcti, omne animal est rationale, vel irrationale.

In tertia parte agitur de categorica vnius extremi copulati. Est, in cuius subiecto, vel attributo est coniunctio copulatiua. Exemplum de categorica subiecti copulati, Plato & Socrates gerunt dolium. Exemplum de categorica attributi copulati, ignis est calidus & siccus.

In quarta parte explicatur categorica vtriusque extremi disiūcti, est in cuius vtroque extremo est disiunctio, vt homo vel belua est ratione vtens, vel rationis expers.

In quinta parte fit mentio de categorica vtriusq; extremi copulati, est autē in cuius

vtro

vtroq; extremo eſt cõiunctio copulatiua, vt homo & belua ſunt animalia, quę ratione vtuntur, & carent.

¶QVÆSTIO IN DIVISIONEM propoſitionis categoricæ extremi coniuncti.

Inter eſt ne inter propoſitionem disiuncti extremi, & disiunctiuam? inter copulati extremi, & copulatiuam?

Inter eſt plurimum, nam vna eſt categorica, alia hypothetica. Diſcrimen hoc indicio cõprobatur, propoſitio in vno ſenſu eſt vera, in alio falſa, differunt ergo latiſsime. Antecedens ita oſtendo, hæc propoſitio. omne animal eſt rationale vel irrationale ſi eſt disiunctiua, eſt falſa, ſi disiuncti extremi vera. Conſimiliter hæc propoſitio Plato & Socrates dolium trahunt, ſi eſt copulatiua, eſt falſa, ſi copulati extremi vera, differunt ergo propoſitio disiunctiua, & diſiuncti extremi, & itidem copulatiua, & copulati extremi.

¶OPPOSITIO IN DIVISIONEM categoricę extremi coniuncti.

Datur categorica composita, quæ nec est extremi disiuncti, nec copulati, manca est ergo diuisio categoricę compositæ. Osten ditur antecedens.

Hæc propositio animal ratione vtens est præstantius ratione carentibus est categorica, & composita, nam est vtriusque extremi compositi, & nõ est extremi disiuncti, nec copulati, ergo datur categorica composita, quæ non est extremi disiuncti, nec copulati.

Respondetur omnia admittendo, duplex enim compositio in categorica reperitur, prima est cum coniunctione, de qua latet differit litera, altera est absq; coniuuctione.

Quæres cur prætermissa est compositio absque coniunctione? duplici ratione est prætermissa, tum quia ex grammaticis manifesta, tum quia nullum scrupũ ad ferens, vti compositio cum coniunctione defert, quæ nisi aperiatur, facile Hypothetica propositio

positio existimaretur, & ita ad lapsum iter pateret.

DOCTRINA DE PROPOSITIONUM conuersione, & primo de propositionum conuenientia.

Quædam propositiones cum alijs conueniunt tribus modis, vno modo quando sunt eiusdem quãtitatis, vel qualitatis, vt si vna vniuersalis, ꝙ alia sit vniuersalis, vel si vna est affirmatiua, ꝙ alia sit affirmatiua, & sic de negatiua.

Secundo modo quando habent simile subiectum, vel prædicatum, vt bonitas est durans, magnitudo est durans.

Tertio modo quando sunt similes in subiecto, & prædicato, vt, bonitas est magna, bonitas non est magna.

In hoc contextu agitur de propositionũ conuersione, & primo præponitur propositionum conuenientia, tãquam apparatus ad conuersionem, & repugnantiam axio-

matum, de quibus continenter agetur. Habentur tres partes in prima parte traditur prima axiomatum conuenientia, tres se se offerunt propositionum conuenientię, prima est de earum conuenientia in quãtitate, vel qualitate, vt est inter ambas ex parte, vel inter ambas negantes.

In secunda parte, traditur secunda conuenientia, est duarum propositionum in subiecto tantum, vel attributo tantum. Qualis est inter duo axiomata eiusdem subiecti, at diuersorum attributorum, vel inter duo eiusdem attributi, at varij subiecti.

In tertia parte traditur tertia conuenientia, est duarum propositionum in eodem subiecto, pariter & attributo, vt inter has Plato est animal, Plato non est animal.

¶QVÆSTIO IN DOCTRINAM de propositionum conuenientia.

✝

Prima conuenientia quotuplex est? Est tripertita, prima est in quantitate tantum

tum, vt omnis homo est animal, at nulla planta est lapis. Secunda est in qualitate tātum, vt omnis homo currit, & aliquod animal est rationale. Tertia est in quantitate & qualitate simul, vt nulla virtus est contēnenda, & nullus leo est ratione vtens.

¶OPPOSITIO IN PRO. positionum conuenientiam.

†

Hæ duæ propositiones omnis homo est animal, & nullus homo est lapis conueniūt primo, & secundo modo, ergo datæ conuenientiæ confunduntur. Antecedens patet, conueniunt in quantitate, & ita primo modo. conueniunt subiecto, & ita secundo modo.

Respondetur ad mittendo añs, & consequutionem difitendo, nam & si diuersæ conuenientiæ possint inuicem conuenire, non ob id confunduntur, sed manent semper distinctæ.

¶DEFINITIO CONVERsionis.

Conuersio est mutatio subiecti in prædicatum, & e conuerso.

In hoc contextu definitur propositionis conuersio, quæ affectio quædam est enunciationũ simplicium. describitur mutatio subiecti in atttibutum, & contra. vt, nullus homo est belua, & nulla belua est homo.

¶QVÆSTIO IN DEFINItionem conuersionis.

Cui vsui seruit conuersio?

Seruit ad ratiocinandum, nam a propositione quæ conuertitur recta fit consequutio in eam, in quam conuertitur, & interdũ est recta probatio, dum scilicet a notiori fit progressio.

¶OPPOSITIO IN DEFINItionem conuersionis.

Inter hominem & animal rationale est

con

conuersio, & non est subiecti in attributũ mutatio, ergo finitio conuersionis non valet. vtraque pars antecedẽtis est manifesta.

Respondetur distinguendo maiorem, est quidem conuersio rei, non axiomatis. at nos de axiomatum conuersione disserimus.

¶DIVISIO CONVERSIONIS.

Logicus facit duas conuersiones, vna dicitur simplex, alia per accidens.

Simplex conuersio est mutatio subiecti in prædicatum, & e conuerso, remanentibus in utraque propositione eadem quantitate, & qualitate. ut, nulla bonitas est odibilis cõuertitur sic nullum odibile est bonitas, similiter quædam bonitas est magnitudo cõuertitur sic, quædam magnitudo est bonitas.

Per istam conuersionẽ conuertuntur universalis negatiua, & particularis affirmatiua.

Conuersio per accidens est mutatio subiecti in prædicatum & e conuerso, remanente in utraque eadem qualitate, & uariata quantitate. ut sic, omne sensuale est differẽs

conuertitur, quoddam differens est sensuale. Similiter nullum animal est lapis, conuertitur quidam lapis non est animal.

Per istam conuersionem conuertuntur vniuersalis affirmatiua, & negatiua. Et sic conuertitur particularis affirmatiua, similiter indefinita, & singularis secundũ suum modum.

De particulari negatiua non fit proprie conuersio, eo q̃ propositio vera posset conuerti in falsam, vt si quoddam animal non est homo, conuertitur quidam homo non est animal, ~~et sic est~~ falsa, & sic potest dici de alijs similibus.

In hac litera diuiditur conuersio propositionum continentur sex particulę. In prima traditur diuisio. Conuersionis duplex est genus. Alia dicitur simplex, siue in totũ. Alia dicitur per accidens, siue ex parte.

In secunda parte describitur conuersio simplex, est subiecti in attributum mutatio quantitate simul & qualitate retentis, vt aliquis homo est animal, & aliquod animal est homo.

In tertia parte explicatur quæ axiomata con-

conuersionē simplicē admittunt, vniuersale negans, & particulare aiens, ex toto conuertuntur. Exemplum primi, nullus homo currit, nullum currens est homo. Exemplū secundi, aliquis homo est ambulans, commeat in hanc aliquis ambulans est homo.

In quarta parte definitur conuersio per accidens, siue ex parte, est conuersio mutata quantitate, & qualitate retenta, vt omnis homo est animal, mutatur ex parte in hāc, aliquod animal est homo.

In quinta parte ostēditur in quibus axiomatis locum habet conuersio ex parte, locum habet in vniuersali aiente, & negante. Exemplū primi, quodlibet animal est substantia, aliqua substantia est animal. Exemplum secūdi, nullus homo est lapis, aliquis lapis non est homo.

In sexta parte subiungitur annotatio de particulari negatione. Ea sane conuersionis est expers. Si enim conuerteretur, vna esset vera, & altera falsa. Patet in his, aliquod animal non est homo, & aliquis homo non est animal.

Hic

hic prior est vera, & posterior falsa, quod conuersioni prorsus repugnat.

¶QVÆSTIO IN DIVISIONEM conuersionis.

An diuisio conuersionis sit valida.

Est. Conuersio enim ex parte tam est cõuersio, & recta, quam conuersio ex toto.

Obijcies Lullum de conuersione ex parte tacuisse in Dialectica noua, distinctione quinta. tacuit sane, non tamen propterea fit inualidam esse. tacuit autem eo ꝙ a simplici vim habeat, tanquam abeade pendẽs, quod his ostẽditur gradibus, nullus homo est scriptor, ergo nullus scriptor est homo, hic excursus per cõuersionem simplicem valet. Tunc vltra ab vniuersali ad particularem, nullus scriptor est homo, ergo aliquis scriptor non est homo, vides, vt conuersio ex parte a simplici pendeat.

¶OPPOSITIO IN DIVISIONEM conuersionis.

Aliquis homo non est leo, est enuncia-

tio

tio ex parte negans, & cõuerti poteſt ergo negatio particularis poteſt cõuerti. Maior eſt nota, minor probatur, conuertitur in hanc aliquis leo non eſt homo, & vtraque eſt vera.

Reſpondetur, de conuerſione eſt iudicãdum iuxta propoſitionum formam, non iuxta materiam. Et pro inde licet propoſitio data conuerti poſsit ratione terminorum, ex quibus conflatur, non tamen ratione formæ, nam in ſimili forma inepta fit conuerſio, vt hic aliquod brutum non eſt leo, igitur aliquis leo non eſt brutum.

¶DOCTRINA DE PROPOſitionum oppoſitione.

In propoſitionibus, quæ concordant in ſimili ſubiecto, & prædicato fiunt quatuor propoſitiones ſcilicet contraria, cõtradictoria, ſub contraria, & ſub alterna.

In hoc contextu inchoatur doctrina de axiomatum oppoſitione in quatuor formas, ad huius diuiſionis intelligentiam habeto

beto duas annotatiões. Annotatio prima, tribus est opus, vt axiomata opposita dicã. tur, Primo debent esse eiusdem subiecti, secundo eiusdem atrributi, tertio eiusdem ordinis.

Annotatio secunda, oppositio in hoc loco est repugnantia axiomatum in qualitate, aut in quantitate, aut in vtroq; simul.

His annotatis haud est dificilis cognitu oppositio qua duplex, nam quæ repugnãt in qualitate vel sunt contrariæ, vel sub contrariæ, quæ pugnãt in quantitate sunt alternæ, quæ in vtroq; pugnant sunt contradicẽtes.

QVÆSTIO IN DIVISIONEM OPPOSITIONIS.

Qua ex parte consideratur hic repugnãtia propositionum?

Consideratur ex diuersis enuntiandi formulis. Nõ est igitur ad rem prospiciendũ, non ad verum, vel falsum, sed admodum ipsum pronuntiandi.

Oppo

OPPOSITIO IN DIVISIONEM OPPOSITIONIS.

Duo hæc axiomata, summum bonũ est, summum malum est, sunt opposita, & nõ sunt eiusdem subiecti, igitur nõ requiritur conuenientia in subiecto. Maior probatur Lulli auctoritate, in arte inuentiua regula de contradictione, data exiomata dicũtur cõtradicentia.

Respondetur hic agitur de repugnantia quoad modos enuntiandi aduersos, in arte inuentiua agitur de repugnantia quoad verum, & falsum.

¶DEFINITIONES QVATUOR OPPOSITIONUM.

Contraria opposita sunt uniuersalis affirmatiua, & uniuersalis negatiua concordãtes in subiecto & prædicato, ut dicere, omnis bonitas est magna, nulla bonitas est magna.

Contradictorie opposita sunt uniuersalis negatiua, et particularis affirmatiua, uel uniuersalis affirmatiua, & particularis nega-

negatiua. De primo sic, nulla bonitas est magna, quædam bonitas est magna. De secundo sic, omnis bonitas est magna, quædã bonitas non est magna.

Subalternæ sunt uniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua, uel uniuersalis negatiua, & particularis negatiua. de primo sic, omni bonitas est magna, quædã bonitas est magua. de secundo sic nulla bonitas est magna, quædam bonitas non est magna.

Subcontrariæ sunt particularis affirmatiua, & particularis negatiua concordantes in subiecto, & prædicato, dicẽdo sic, quædam bonitas est magna, quædam bonitas non est magna.

Et sicut dicitur de particulari, ita potest dici de indefinita, & singulari.

Contradictio est affirmatio & negatio ad idem, secundum idem, similiter, & eodem tempore.

In hac litera describuntur quatuor oppositionis modi. Sunt sex partes, in prima describitur oppositio contraria, siue aduersa. Enun-

sa.Enunciationes contrariæ sunt duæ vniuersales altera aiens,altera negãs,vt, omnis homo currit,& nullus homo currit.

In secunda parte describuntur enunciationes contradicentes , sunt affirmatio & negatio , altera ex toto, altera ex parte.Vt, omnis homo currit,aliquis homo nõ currit , vel nullus homo currit , aliquis homo currit.

In tertia parte depinguntur alternæ.Sunt duæ enunciationes eiusdem qualitatis. Vt omnis homo currit,huicalterna est aliquis homo currit , vel nullus homo currit, & aliquis homo non currit.

In quarta parte delineãtur sub contrariẹ, sunt affirmatio & negatio ambẹ ex parte. Vt aliquis homo est iustus , & aliquis non est iustus.

In quinta parte substernitur obseruatio tacite obiectioni respondens,interrogaret quispiam omnia exempla de propositione vniuersali, & particulari agunt, & quid de indefinita,& singulari?satisfacit litera in quiens,vt dicitur de particulari,ita censeatur de indefinita,& singulari , sed cum dis-

crimine, nam de indefinita & particulari est semper idem iudicium, de singulari vero, & particulari idem tantum est iudiciũ quoad oppositionem alternam, contradicentem, quoad sub contrariam minime. Nam propositio singularis nusquam est alicui sub contraria, sed contradicens, vel alterna.

In sexta parte habetur contradictionis descriptio, in qua annotantur quibus ad omnem oppositionem est opus. Quatuor in ea notantur. Primo debet oppositio fieri ad idem, secundo secũdum idem, tertio eodem modo, quarto eodem tempore, & sub tempore eundem locum conclude. quod si ex his quatuor aliquid desit, nõ est oppositio.

QVÆSTIO PRIMA IN definitiones quatuor oppositionum.

Quot sunt genera contradicentium?

Contradicentiũ duo sunt genera, alia sunt vniuersa, & de his litera meminit, alia sunt singularia, & sunt affirmatio & negatio singula-

gulares, vt Plato eſt ſapiens, Plato non eſt ſapiens.

¶QVÆSTIO SECVNDA in definitiones quatuor oppoſitionum.

✝

Propoſitiones oppoſitæ vt ſe habent in vero, & falſo?

Duæ propoſitiones contrariẹ non poſſunt eſſe, ſimul veræ, poſſunt tamen eſſe ſimul falſæ. Exemplum de poſteriori omnis homo eſt iuſtus, & nullus homo eſt iuſtus ſunt propoſitiones cõtrariæ, & ſimul falſæ.

Duæ ſub contrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ, ſed poſſunt eſſe ſimul veræ. Exẽplum poſterioris quidã homo eſt iuſtus, et quidam non eſt iuſtus ſunt ſub contrariæ, & ambæ, veræ.

Duæ contradicentes non poſſunt eſſe nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ, ſed ſi vna eſt vera, alteram neceſſe eſt eſſe falſam, & ſi vna eſt falſa, alteram veram eſſe oportet.

Duæ alternę & ſimul verę,& ſimul falſę, eſſe poſſunt. Exemplum de ſimul veris,omnis homo eſt animal, & aliquis homo eſt animal. Exemplum de ſimul falſis,omnis homo eſt lapis,& aliquis homo eſt lapis.

OPPOSITIO PRIMA IN definitiones quatuor appoſitionum.

Sub contrarię non ſunt oppoſitę,redundat ergo diuiſio oppoſitionis. antecedens probatur,ambę poſſunt eſſe ſimul veræ, at verum cum vero nõ pugnat, ergo nõ ſunt repugnantes. Maior patet in his,aliquis homo eſt iuſtus,aliquis homo non eſt iuſtus, quarum vtraq; eſt vera.

Reſpondetur,ſub contrarias repugnantes dici in modo tantum enũtiandi aduerſo,qui eſt ex parte affirmare,& ex parte negare,ſtricto iure repugnantes dici non debent.

OPPOSITIO SECVNDA in definitiones quatuor appoſitionum.

Alternę non ſunt oppoſitæ, ſuperfluit ergo data

go data diuisio. Antecedens est manifestũ, altera enim ex altera pendet, quo fit, vt cõueuientes, non repugnantes existimari valeant.

Respondetur, alternas pugnãtes dici hac sola ratione, quod vna ex parte, altera ex toto pronuntiet, & propterea nimis extense, quin potius amicę, & connexę sunt nuncupandæ, eamq; obrem in Dialectica noua distinctione quinta de his nullus est sermo.

¶DOCTRINA DE PROPOSITIONE hypothetica, & primo de eius finitione, & diuisione.

Propositio hypothetica est oratio, in qua duæ categoricæ per coniunctionem ad inuicem vniuntur, vt bonitas est magna, & magnitudo est bona.

Propositio hypothetica est sextuplex, scilicet copulatiua, disiunctiua, condicionalis, rationalis, temporalis, localis.

Copulatiua est illa hypothetica, in qua sunt duæ categoricæ coniunctæ per coniunctionem copulatiuam, vt, bonitas est magna, &

differentia est concordans.

Disiunctiua est illa hypothetica in qua sunt duæ categoricæ coniunctæ per coniunctionem disiunctiuam. Vt, homo est animal, vel leo est sensibilis.

Conditionalis est illa hypothetica in qua sunt duæ categoricæ coniunctæ per hanc dictionem si, vt, si duratio est potens, potestas est durans.

Rationalis est illa hypothetica in qua sunt duæ categoricæ coniunctæ per has coniunctiones igitur, ergo. Vt, sapientia est amabilis, igitur bonitas est potens.

Temporalis hypothetica in qua sunt duæ categoricæ coniunctæ cum aduerbio temporali. Vt, bonitas est magna, quando magnitudo est bona. Localis est illa hypothetica in qua sunt duæ categoricæ coniũctæ cum aliquo aduerbio locali. Vt, virtus est, vbi iustitia est.

In hoc contextu agitur de hypothetica enũtiatione. Categoricâ enim perfectâ ad hypotheticã est transeundũ. Habẽtur octo partes in prima parte definitur hypothetica, est oratio cõstituta ex multis categoricis coniunctione aliqua colligatis. Vt enũ-

ciatio ſit hypothetica, duo requirũtur, primo duabus ad minimum categoricis eſt opus. Secundo categoricas cõiunctas eſſe oportet, non diſperſas, & diſſolutas.

In ſecunda parte diuiditur hypothetica in ſex ſpecies, iuxta ſex coniunctionũ formas, eſt vel copulatiua, vel disiunctiua, conditionalis, rationalis, tẽporalis, vel localis.

In tertia parte deſcribitur copulatiua, eſt, in qua categoricæ per coniunctionem copulatiuam iunguntur. Exemplum, ſic fatur lachrimans, claſsiq; immittit habenas.

In quarta parte deſcribitur disiunctiua, eſt, in qua categoricæ per disiunctionem copulãtur. Exemplum, hanc Deus, aut melior litem natura diremit.

In quinta parte deſcribitur conditionalis, eſt, cuius categoricæ notam habent cõditionalem ſi mihi non animo fixum immotumq; ſederet, ne cui me vinclo vellẽ ſociare iugali, huic vniforſan potui ſubcũbere culpæ.

In ſexta parte deſcribit̃ ratiõalis, eſt in qua categoricæ per ratiocinij coniunctionem iunguntur. Sunt autem ratiocinij coniunctiones, & notæ ergo, igitur, & ſimiles.

Exemplum,currit,ergo mouetur.

In ſeptima parte deſcribitur temporalis, eſt, cuius categoricas aduerbium tēporis nectit.exemplum,quādo ſol lucet,dies eſt.

In octaua parte deſcribitur localis. Eſt, cuius categoricas aduerbium loci coniungit.Exemplum,quo ego vado,vos non poteſtis venire.

QVÆSTIO PRIMA IN finitionem,& diuiſionem hypotheticæ.

Qua ex parte colliguntur ſpecies hypotheticæ enunciationis?

Ex coniunctione,per quam categoricæ inuicem nectuntur,depēdet ſpecies hypotheticæ. Si illa eſt temporis, temporalem hypotheticam reddit,ſi disiunctionis, diſiunctiuam,Si conditionis,conditionalem, atq; ita de alijs.

¶QVÆSTIO SECVNDA in finitionem propoſitionis hypotheticæ.

Si in hypothetica ſunt diuerſæ ſpeciei coniunctio.

iuuctiones,ex qua de prometur ſpecies?

Ex principaliori coniunctione cenſendũ eſt de ſpecie enunciationis hypotheticæ. Vt ſi quæratur cuius ſit ſpeciei hæc hypothetica homo eſt belua, vel homo & brutum eſt ratione carens,petes ilico, vtra cõiunctio ſit principalior , ſi eſt cõiũctio vel, tunc hypothetica eſt disiunctiua, & falſa,ſi eſt coniunctio &,tunc hypothetica eſt copulatiua,& vera.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM & diuiſionem propoſitionis hypotheticæ.

Plures aliæ ſunt cõiunctiones pręter eas, quas exprimit litera , ergo & plures hypotheticæ. Antecedens eſt manifeſtum , ſunt coniunctiones aduerſantes , ſimilitudinis, cauſæ. Sunt præterea notę comparationis, hoc,quo,tanto,quanto,quæ omnes enunciationem hypotheticam conſtituunt.

Reſpondetur,adductæ cõiunctiones ad copulatiuam facile reducuntur;& proinde ſub copulatiua incluſæ percipiuntur. vel dicas,non omnes literam enumeraſſe,ſed ali

quot præcipuas, per quas & reliquæ intel. liguntur.

DE VERO ET FALSO IN hypotheticis obseruatio.

Ad hoc quod copulatiua sit vera, requiritur, quod ambæ suae categoricae sint veraе, sed quando aliqua categoricarum est falsa, tunc ipsa est falsa. Vt dicendo, homo est animal, & homo est caper.

Et ideo dicitur copulatiua pro vna parte falsa tota falsa.

Ad hoc quod disiunctiua sit vera, sufficit aliquam categoricarum esse veram. Vt dicendo bonitas est virtuosa, vel homo non est animal.

Et ideo dicitur disiunctiua vna parte vera, tota vera, sed ad hoc quod disiunctiua sit falsa, oportet, ꝙ ambae suae categoricae sint falsae. Vt dicendo homo est irrationalis, vel lapis est animal.

Ad veritatem condicionalis requiritur, ꝙ antecedens nequeat stare sine consequẽte, vt tu es homo, ergo tu es ens.

Ad cuius cognitionem habendam consideretur, si oppositum consequentis repugnat

antecedenti.

Ad falsitatem uero requiritur, ꝙ antecedens posit stare absque consequente. Quod etiam poterit uideri considerando. ꝙ oppositũ cõsequẽtis nõ repugnat antecedẽti

In hac litera obseruatio traditur de vero, & falso in hypotheticis. Habentur septem partes. In prima depingitur copulatiua vera, & falsa. Vera est, cuius omnes categoricæ sunt veræ, falsa, cuius aliqua est falsa. Exẽplum de vera, Deus est vnus, & idem est trinus. Exemplum de falsa, homo est animal, & non est corpus.

In secunda parte traditur canon ex superiori finitione collectus, canon est hic, copulatiua ex vna pare falsa tota falsa.

In tertia parte describitur disiũctiua vera, & disiũctiua falsa. Vera est, cui⁹ aliqua pars est vera. Falsa, cuius omnes partes sunt falsę. Exẽplũ de vera, homo est lapis, vel Deus est. Exemplum de falsa, cælum est corruptibile, aut est æternum.

In quarta parte subiungitur canon ex superiori finitione consectarius, Disiunctiua ex aliqua parte vera est tota vera.

In quinta parte definitur rationalis

vera,& falsa. Vera est, cuius consecutio valet. Falsa, cuius consequutio est inualida. Exemplum de vera, homo est leo, ergo est rationis expers. Exemplum de falsa, homo est animal, ergo lapis est animatus.

In sexta parte traditur canō ad cognoscendum valorē consequutionis, & ex consequio veritatem rationalis, eius enim veritas a valore consequutionis pendet, non apartium veritate. Canon est is, si oppositum consequentis antecedenti repugnat, data consecutio valet. Hoc canone cognoscitur valere hæc consecutio Plato currit, ergo mouetur. nam oppositum consequentis pugnat cū antecedente, hæc enim duo axiomata, Plato currit, & non mouetur, manifeste repugnant.

In septima parte traduntur duo canones ad deprehendendam consequutionis inualiditatem, & protinus falsitatem rationalis. Primus canon est is, si antecedens subsistere potest absq; consequente, data consecutio nihil valet. Secundus canon est, si oppositum consequentis non pugnat antecedenti, consequutio nihil valet, hoc duplici

canone

canone agnoſcitur hęc collectio in efficax eſſe, Plato mouetur ergo currit, nam & antecedēs eſſe poteſt abſq; conſequēte, & cō ſequentis oppoſitum non pugnat cum antecedente.

¶QVÆSTIO PRIMA IN obſeruationem de vero & falſo in hypotheticis.

Quare omiſſa eſt obſeruatio de vero & falſo in categoricis?

Omiſſa eſt tanquam manifeſtior. Verū enim & falſum in categorica ab ipſa re dependent, cui vni eſt incumbendum. In hypothetica vero a categoricis pendent, & maiorem exigunt attentionem.

¶QVÆSTIO SECVNDA IN obſeruationem de vero & falſo in hypotheticis.

Neceſſarium poſsibile, contingens, & impoſsibile quo pacto cognoſcuntur in hypothetica copulatiua?

Quatuor habe deſcriptiones, ſit prima, copula

copulatiua est necessaria, cuius omnes partes sunt necessariæ, vt, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.

Secunda descriptio, copulatiua possibilis est cuius vtraque pars est possibilis, & neutra alteri repugnans. Vt homines loquuntur, & aues garriunt.

Tertia descriptio, copulatiua contingens, est cuius vtraq; pars est contingens, & neutra alteri contradicens, vt, Plato docet, & Aristoteles audit.

Quarta descriptio, copulatiua impossibilis est cuius altera pars est impossibilis, vel altera alteri est repugnans. Exemplum primi, planta est rationalis, & homo non est virtutum capax. Exemplum secundi, Plato currit, & Plato non currit.

¶QVÆSTIO TERTIA IN obseruationem de vero & falso in hypotheticis.

Necessarium, contingens, possibile, impossibile vt conueniunt hypotheticæ disiunctiuæ.

Quatuor descriptionibus facile patebit.

Des.

Descriptio prima, disiunctiua necessaria est, cuius altera pars est necessaria, vel vtraque alteri repugnans. Exemplum primi, Deus est immensus, vel homo est iustus. Exemplũ secũdi, Plato currit, vel nõ currit.

Disiũctiua posibilis est, cuius altera pars est posibilis, vt homo est recti studiosus, vel est belua.

Disiunctiua contingens est, cuius vtraq; pars est contingens, & neutra alteri contradicens, vt Paulus orat, vel Socrates Philosophatur.

Disiunctiua imposibilis est cuius omnes partes sunt imposibiles, mundus aut æternus, aut infinitus.

¶QVÆSTIO QVARTA IN obseruationem de vero & falso in hypotheticis.

An contingens hypotheticæ rationali conueniat.

Quemadmodũ contingẽs illationi non conuenit, ita nec hypothetica rationali. Est igitur omnis rationalis aut necessaria, si est validæ illationis, aut imposibilis, si est inualidæ.

Oppo-

¶OPPOSITIO PRIMA IN obseruationem de vero & falso in hypotheticis.

Hypothetica temporalis, localis, causalis sunt veræ, aut falsę, & de his subticuit litera, ergo manca. Totum antecedens est manifestum.

Respondetur, hypothetica temporalis, localis, & aliæ quæcunq; ad copulatiuam reuocantur, regulam copulatiuæ sequuntur, præter causalem, quæ plusculum exigit, nẽpe vt prior pars sit causa posterioris, & proinde hæc causalis est falsa, quia dies est, sol lucet. Licet enim vtraq; pars sit vera, prior tamen posterioris non est causa.

OPPOSITIO SECVNDA IN obseruationem de vero & falso in hypotheticis.

Hypothetica condicionalis est vera, aut falsa, & contextus de illo non meminit, ergo videtur diminutus.

Respondetur conditionalis, & quæcunque

que illationis notam complectitur regulã rationalis obſeruat. Si tamen cõditionalis conditionem abſq; ratiocinio notat, requiritur ad veritatem, vt ad impleta cõditione adimpleatur quod illi ſubiungitur.

¶CAPVT TERTIVM DE ARGVmentatione & primo de argumentationis finitione, & diuiſione.

Argumentum eſt ſermonum aggregatio, ex quibus alij ſermones ſequuntur, vt bonitas eſt, ergo aliquid eſt.

Argumentum eſt tota oratio ex antecedente, & conſequente compoſita.

Argumentum habet quatuor ſpecies, ſcilicet ſyllogiſmum, inductionem, entymema, & exemplum.

Hactenus de termino, & axiomate diſſeruimus, ſupereſt tertium inter tria Dialecticæ capita, & præſtantiſsimum argumentatio, & de hac inchoatur cẽſura tres habẽs partes, in prima parte proponitur prima argumentationis deſcriptio. Argumentũ eſt

ſermonum compactio, in qua alij ſermo. nes ſequuntur ex alijs. Argumētum dupli. citer ſumitur, primo pro ratione ipſa, quæ parseſt argumentationis, ſecundo pro tota argumentatione, vt hoc loco. argumētum igitur, argumentatio, ratiocinatio, ratiocinium, excurſus ęque valēt. Nihil aliud eſt, quam diſpoſitio quædam, in qua ex ſermo nibus ſermones ſequuntu r. Exemplū, Paulus ſentit, ergo eſt animal. Hæc eſt argumē tatio, in ea ſiquidem ex illo ſermone Paulus ſentit, alius infertur, ille ſcilicet, ergo eſt animal.

In ſecunda parte notatur ſecūda deſcriptio argumentationis ex partibus collecta, argumentatio eſt tota oratio ex antecedente & conſequente compoſita. In hac deſcriptione duæ exprimuntur argumentationis partes, prima eſt antecedens, axioma videlicet, quod infert. Secūda eſt conſequēs, axioma, quod infertur. Hęduæ partes in data argumentatione ſunt manifeſtę. Plato ſentit eſt antecedens, Plato eſt animal eſt conſequens.

In tertia parte diuiditur argumentatio

in quatuor ſpecies,& ſunt hæ, ſyllogiſmus, inductio,enthymema, & exemplum.

¶QVÆSTIO PRIMA IN definitionem argumentationis.

Poteſt ne aliter argumentatio deſcribi? Duæ ex litera habentur deſcriptiones,addi poteſt tertia.Argumentatio eſt argumenti ſeu rationis cum quæſtione collocatio.Sit in exemplum data argumentatio,in ea ſentit eſt argumentum,ſine ratio, per quã coniunguntur Paulus & animal.

¶QVÆSTIO SECVNDA IN definitionem argumentationis.

Quotuplex eſt antecedens? Duplex,ſimplex,& compoſitum.Simplex eſt vna enunciatio.Compoſiti autem duę ſunt partes,pars prior dici ſolet maior, ſeu propoſitio, poſterior pars minor, ſeu aſſumptio. Exemplum, in data argumentatione antecedens eſt ſimplex, inſe-

insequenti est connexum, quidquid sentit est animal, paulus sentit, ergo est animal. Illud autē axioma quidquid sentit est animal propositio, & maior dicitur, illud Paulus sentit assumptio, & minor.

¶QVÆSTIO TERTIA IN diuisionem argumentationis.

An syllogismus, inductio, enthymema, & exemplum sint verę argumentationes species.

Grauior est quæstio, quam ferat compēdium, in Dialectica noua late discussam inuenies in obseruatione prima de modo, quo fit argumentatio.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM argumentationis.

In secunda argumentationis descriptione deest nota collectionis, ergo secūda descriptio est infirma.

Respondetur, collectionis notam in data descriptione latere implicatam, antecedens

dens enim,& conſequens abſq; illa eſſe nõ poſſunt.

¶DOCTRINA DE SYLLOgiſmo,& primo de eius finitione.

Syllogiſmus eſt argumentatio, in qua ex duabus præmiſsis propoſitionibus in debito modo, & figura ordinatis ſequitur concluſio.

Hoc loco definitur ſyllogiſmus, vt omnium argumentationum præſtantiſsima. Finitio ſyllogiſmi eſt ex cuius partibus ſũpta. Sit exemplum de ſyllogiſmo, Omne animal eſt ſubſtantia, & omnis homo eſt animal, igitur omnis homo eſt ſubſtantia. Notatur in aſsignata finitione materia ſyllogiſmi proxima. Tres ſane propoſitiones maior, minor, & complexio ſunt materia ſyllogiſmorum proxima, non plures, nec pauciores. Maior autem,& minor dicũtur premiſſe,eo ꝙ inferendæ concluſioni præmittuntur,ac præiaciuntur. Concluſio,ſiue complexio eſt conſequens, quod a maio-

re,& minore colligitur.

¶QVÆSTIO IN DEFINITIONEM syllogismi.

An finitio syllogismi sit recta.

Est valida,& perspicua, coęquatur enim syllogismo,& nihil habet neui.

Quod si obijcias,enthymema sylligismum esse,& probas tum Lulli sententia in Dialectica noua,tum ex vocabuli etymo, respõdeo syllogismum iuxta etymon late sumi, pro argumentatione ipsa,at de vsu frequẽtiori accipitur presse,pro argumentationis specie, priori modo sumitur in Dialectica noua,posteriori modo hic.

¶OPPOSITIO PRIMA IN definitionem syllogismi.

Hic est syllogismus,si homo non esset animal,non esset sentiens,at est sentiens, ergo est animal, in ea tamen sunt quatuor propositiones ergo plures quam tres esse possunt in syllogismo.

Respondetur difitendo minorem,in dato enim syllogismo tres sũt propositiones,

sed

sed prima est hypothetica, reliquę duæ categoricæ.

¶OPPOSITIO SECVNDA in definitionem syllogismi.

Hic est syllogismus omne animal est substantia nam per se existit, & omnis homo est animal, quandoquidem sentit, igitur omnis homo est substātia, at cōtinet quinque propositiones, ergo plures sunt in syllogismo, quam tres.

Respōdetur, in dato syllogismo sunt tres propositiones ad dati syllogismi naturam pertinentes, aliæ duæ non sunt partes syllogismi, sed præmissarum probationes, & fulcimenta.

DE MATERIA SYLLOGISmi remota.

Tres termini sunt necessarij ad faciendum syllogismum, quorum vnus dicitur medium, alius maior extremitas, alius minor extremitas.

Medium est ille terminus, qui ponitur bis ante conclusionem, scilicet semel in præmissa maiori, & semel in minori.

Maior extremitas est ille terminus, qui cum medio facit primam propositionem.

Minor extremitas est ille terminus, qui cũ medio conficit secundam propositionem.

Medium nunquam debet poni in conclusione. sed ipsa debet fieri ex maiori extremitate, & minori. & omnia ista patẽt in syllogismo prædicto.

In hoc contextu fit exploratio de materia syllogismi remota, continentur quinq; partes. in prima assignatur materia syllogismi remota. Duplex est enim syllogismi materia proxima, vt propositio, & remota, vt terminus. Tres termini tantum sunt tota syllogismi materia. sortiuntur hęc nomina; medium, maius extremum, minus extremum. Cæterum medium, ratio, & argumentum ęque valent. Maius extremum, maior extremitas, primum extremum idẽ. Minus extremum, minor extremitas, & vltimum extremum idem.

In

In ſecunda parte deſcribitur mediũ, eſt terminus bis ſumptus ante cõcluſionem, ſemel ſcilicet in propoſitione, & ſemel in aſsũptione. cognoſcitur eſſe, quidquid ſumitur in antecedente, & concluſionem nõ intrat.

In tertia parte deſcribitur maius extremũ, ſiue maior extremitas, eſt terminus, qui cũ medio maiorem præmiſſam conſtituit.

In quarta parte deſcribitur minus extremum, ſiue minor extremitas, eſt terminus, qui cum medio minorem præmiſſam cõſtituit.

In quinta parte conſtituitur canon maxime obſeruandus, canon eſt, medium nunquam debet ingredi concluſionem, nec totum, nec aliqua pars eius. Sed debet concluſio ex vtriſque tantum extremis conſtitui. Hęc cuncta in hoc ſyllogiſmo patent, omne animal rationis particeps eſt liberum, homo eſt animal rationis particeps, ergo homo eſt liber. In eo ſunt tres termini, animal rationis particeps eſt medium, nam ſumitur tantum in antecedente, ſemel in propoſitione, & ſemel in aſſumptione liber eſt

maius extremum, nam cum medio propo sitionem conflat. Homo est minus extre. mum, cum medio enim assumptionē con stituit. Vides præterea, vt medium conclu. sionem nullo pacto intret.

¶QVÆSTIO IN MATE-riam syllogismi re-motam.

✝

An medium possit in conclusione re-poni.

Non potest, nec eius minima pars. Intelli-ge quatenus obit medij munus, nam exer-cens officium maioris extremi, vel mino-ris posset in conclusione reponi. si enim medium pars esse posset conclusionis, cū conclusio sit quæstio, & medium ratio, fie ret plane, id, quod pars est quęstionis, ratio nem quæstionis esse, quod est manifeste absurdum, vt idem se ipsum probet.

Oppo-

OPPOSITIO PRIMA IN materiam ſyllogiſmi remotam.

In hoc ſyllogiſmo omne animal eſt ſentiens,& aliquod animal eſt animal ergo aliquod animal eſt ſentiens,ſunt tantum duo termini,videlicet animal, & ſentiens, non ergo eſt opus tribus terminis.

Reſpondetur, tres eſſe terminos officio diſtinctos,vnus enim, nimirum animal duplici munere fungitur,medij ſcilicet,& minoris extremi. Et cum aſſeritur tres terminos exigi,de tribus intellige munere diſtinctis.

OPPOSITIO SECVNDA in materiam ſyllogiſmi remotam.

In hoc ſyllogiſmo,cuiuſlibet hominis aliqua anima eſt immortalis , Plato eſt homo,igitur Platonis aliqua anima eſt immortalis ; ſunt quatuor termini, ergo plures eſſe poſſunt , quam tres termini.

Antecedens patet , termini ſunt hi homo

homo, Plato, immortalis, & anima.

Reſpondetur, tres eſſe tantum officio, anima enim & immortalis munus obeũt maioris extremi, Plato minoris, & homo medij.

FORMA SYLLOGISMI.

Notandum, q̃ omnis bonus ſyllogiſmus debet eſſe in figura, & modo. Figura eſt debita ordinatio terminorum in ſubijciendo, & prædicando. Figuræ ſyllogiſmorũ ſunt tres, et quælibet habet ſuos modos. Modus eſt debita ordinatio propoſitionum in quantitate, vel qualitate.

In hoc contextu agitur de forma ſyllogiſmi, habentur quatuor partes. In prima pronunciatur ſyllogiſmum validum & figura & modo confici debere duæ ſi quidẽ partes in ſyllogiſmo reperiũtur, materia, & forma. Ad materiam pertinet propoſitio, & terminus, ad formam figura, & modus.

In ſecunda deſcribitur figura, eſt medij ſitus cum extremis. Sit in exemplum hic ſyllogiſmus omnis virtus eſt appetenda, tẽperantia

perantia eſt virtus,ergo appetēda.In eo eſt figura, collocatio ſcilicet illa virtutis cum maiori extremo in propoſitione,& cū minori in aſſumptione.

In tertia parte conſtituitur numerus figurarum.Figuræ ſyllogiſmorum ſunt tres triplex eſt medij ſitus,ſi enim medium antecedit in vna præmiſſa maiorem extremitatem,& in alia ſequitur,eſt prima figura. Si medium vtramque extremitatē ſequitur, eſt ſecūda. Si antecedit vtranque eſt tertia. In quarta parte deſcribitur modus.Eſt propoſitionum in quantitate,& qualitate conpactio legittima,vt in hoc ſyllogiſmo,omne animal eſt ſubſtātia,quidam leo eſt animal,ergo quidam leo eſt ſubſtātia eſt modus,illa videlicet prēmiſſarum , & concluſionis in quātitate , vel qualitate diſpoſitio quod ſcilicet omnes ſint aientes , & maior ex toto,minor vero & concluſio ex parte.

QVÆSTIO PRIMA IN formam ſyllogiſmi.

Quotuplex eſt ſyllogiſmus?

Sit

Sit prima concluſio, ſyllogiſmus eſt duplex categoricus, & hypothetic⁹. Categoricus eſt, qui ex axiomatis categoricis cōſtat. Hypotheticus, qui ex hypotheticis. Exemplum de categorico, omne animal ſentit, & omnis homo eſt animal, ergo omnis homo ſentit. Exemplum de hypothetico, ſi aliquis homo non ſentit, aliquod animal non ſentit, at omne animal ſentit, ergo omni homo ſentit.

Secunda concluſio, ſyllogiſmus categoricus eſt duplex communis, & ſingularis, qui & expoſitorius dici ſolet. Communis eſt, qui ex propoſitionibus categoricis, & communibus conſtat. Singularis eſt, qui fit ex categoricis, ſingularibus. de categorico communi habes exemplum in prima concluſione. de ſingulari ſit hoc exemplū, Plato currit, & Plato eſt homo, ergo aliquis homo currit.

¶ QVÆSTIO SECVNDA IN formam ſyllogiſmi.

Figura cui ſyllogiſmorum generi ineſt?

Figura, de qua litera meminit, non cōuenit

nit syllogismo hypothetico, sed categorico tam communi, quam singulari.

QVÆSTIO TERTIA IN FORmam syllogismi.

Syllogismorũ singulariũ sũt ne tres figuræ?

Quandoquidem litera de categoricis cõmunibus dumtaxat meminit, dum de figuris, & modis syllogismorũ differit, operepretium est, vt de figuris, & modis syllogismorũ singularium non nihil agamus. Syllogismi categorici, & singulares tres habẽt figuras, perinde atq. syllogismi cõmunes.

Prima figura duos habet modos. Primus modus est aiens, secundus negans. Exemplum primi Plato currit, & aliquis hominum est Plato, ergo aliquis hominum currit. Exemplum secundi, Socrates non est iustus, & aliquis hominum est Socrates, ergo aliquis hominum non est iustus.

Secunda figura duos habet modos, & vtrũque negantem. Exemplum primi, Plato fuit Atheniensis, Aristoteles non fuit Atheniensis, ergo Aristoteles non fuit Plato.

Exem

Exemplum primi, Terentius non fuit orator, at Cicero fuit, ergo Cicero non fuit Terentius.

Tertia figura duos habet modos, alter est affirmans, & alter negans. Exemplum primi, Salomon fuit sapientissimus, Salomon fuit homo, ergo aliquis homo fuit sapientissimus. Exemplum secundi, Aristoteles non fuit Dialecticę primus inuentor, & Aristoteles fuit princeps Philosophorum, ergo princeps philosophorum, non fuit Dialecticę primus inuentor. In syllogismis categoricis, & singularibus est summopere animaduertendum, ne argumētemur a partim sumpto ad idem vniuerse sumptum. Id autem vitij contingere potest in modis negatis, non affirmatis. Hāc obrem prima, & tertia figura non possunt habere assumptionem negantem. Sit exemplum, in prima figura non valet, Paulus est homo, & Ioannes non est Paulus, ergo Ioannes non est homo. Exemplum, in tertia figura non valet, Paulus est substantia, & Paulus non est planta, ergo planta non est substantia.

Oppo-

¶ OPPOSITIO IN FORmam ſyllogiſmi.

Hic eſt ſyllogiſmus, omnis homo eſt animal, & omne animal eſt ſubſtantia, ergo omnis homo eſt ſubſtantia, & nullius eſt figuræ, ergo plures ſunt, quam tres figuræ. Propoſitio eſt perſpicua, aſſumptio proba tur, non eſt primæ, nam medium effertur in maiori, cum tamẽ in prima figura ſubijci debeat.

Reſpondetur negando aſſumptionem, datus ſyllogiſmus eſt primę figurę, & in eo præmiſſę ſunt tranſpoſitę, quæ tranſpoſitio figuram non mutat.

LEGES RECTI SYLLOgiſmi.

Conditiones generales ad omnes figuras ſunt quinque, prima, ꝗ in ſyllogiſmo aliqua præmiſſarum ſit vniuerſalis.

Secunda, ꝗ in ſyllogiſmo aliqua præmiſſarum ſit affirmatiua.

Tertia, ꝗ ſi aliqua præmiſſarum ſit particularis, concluſio ſit particularis, ſed non e

conuerso.

Quarta, ꝙ si conclusio sit negatiua, aliqua præmissarum sit negatiua, & e conuerso.

Propter quod est notandum, quod in syllogismo expuris negatiuis, & expuris particularibus nihil sequitur.

Quinta, ꝙ in nulla figura medium ponatur in conclusione.

In hac litera constituũtur leges boni syllogismi. nam antequam figuras omnes, & modos explicemus, oportet leges addiscamus, quibus egent syllogismi, vt sint validi. Habentur sex partes, in prima parte statuitur prima lex, in omni syllogismo aliqua præmissa debet esse vniuersalis, aut vtraq; aut ad minimum altera. Si ambę fuerint ex parte, nullus est syllogismus.

In secunda parte statuitur secunda lex, in omni syllogismo altera ex præmissis debet esse aiens, vna ad minimum. Si omnes fuerint negantes, inualidus est syllogismus.

In tertia parte habetur lex tertia, si aliqua ex præmissis est ex parte, conclusionem ex parte esse oportet, non contra, nam potest

teſt concluſio eſſe ex parte vtraq; premiſſarum vniuerſali exiſtente.

In quarta parte ſcribitur lex quarta, ſi cõcluſio eſt negans, debet & aliqua præmiſſarum eſſe negans, & ſi aliqua ex præmiſsis eſt negans, & concluſio itidem eſt negans.

In quinta parte notatur appendix ex prima lege, & ſecunda dependens, ex prima ſequitur ex puris particularibus ſyllogiſmũ non fieri, ex ſecunda ex puris negantibus non confici ſyllogiſmum.

In ſexta parte ſancitur lex quinta, in nullo ſyllogiſmo debet medium in concluſione reponi.

¶QVÆSTIO IN LEGES recti ſyllogiſmi.

†

Quo pacto oſtenditur leges preſcriptas neceſſarias eſſe?

Oſtenditur apertiſsime per exempla, primo, ſyllogiſmus ſequẽs eſt inualid' primæ

legis defectu. Aliquod animal est homo, belua est animal, ergo belua est homo.

Secundo, defectu secundę legis non valet nullum animal est arbor, nulla pomus est animal, ergo nulla pomus est arbor.

Tertio, non sequitur ex tertiæ legis defectu, omnis homo est rationalis, aliquod animal est homo, ergo omne animal est rationale.

Quarto, non valet quartæ legis defectu, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo nullus homo est substātia.

Quinto, defectu legis quintę absurde syllogizatur, nulla terra est supra lunā, at sol est supra lunam, ergo sol non est supra terram. Hic supra, quod est pars medij collocatur in conclusione.

OPPOSITIO IN LEGES recti syllogismi.

In quolibet syllogismo satis est explorare an figurā habeat, & modum, ergo frustra sunt datæ leges.

Respondetur, constat sane, si syllogismus in

in figura eſt, & modo, quatuor priores leges protinus ad eſſe, at leges contemnendę non ſunt ob lucem, quam adferunt. quinta non poteſt non exprimi, non enim eſt in figura, & modo incluſa.

PRIMA SYLLOGISMORUM figura.

Prima figura eſt illa, in qua terminus, qui eſt ſubiectum in præmiſſa maiori, eſt prædicatum in minori. Vt dicendo, omne bonum eſt verum, duratio eſt bona, ergo duratio eſt vera.

Et habet quatuor modos directe concludentes.

Eſt notandum, ꝙ quædam eſt concluſio directa, & alia indirecta. Cõcluſio directa eſt illa, in qua maior extremitas prædicatur de minori. Concluſio indirecta eſt illa, in qua minor extremitas prædicatur de maiori.

Quatuor primi ſunt, qui ſignificãtur per iſtas dictiones barbara, celarẽt, darij, ferio.

In modis figurarum ſunt iſtæ vocales, a, e, i, o. A eſt vniuerſalis affirmatiua, E. vniſalis

uersalis negatiua, I, particularis affirmatiua, o. particularis negatiua.

In hoc contextu inchoatur indago de prima figura, habentur quinque partes, in prima parte exponitur prima figura, estq; quãdo medium est subiectum in maiore, & attributum in minore. Exemplum habetur in litera, omne bonum est verum, duratio est bona, igitur duratio est vera. Hic bonum est medium, & subijcitur in propositione, effertur autem in assumptione.

In secunda parte recensentur modi primæ figuræ. Sunt quatuor directe concludentes, & quinque indirecte.

In tertia parte subiungitur annotatio de duplici conclusione, conclusio est duplex, quædam directa, in qua maius extremum de minori effertur. Quædam est indirecta, in qua min⁹ extremum de maiori dicitur. sit in exemplum superioris syllogismi conclusio, videlicet duratio est vera, est sane conclusio directa, in ea si quidem maius extremum de minori prędicatur. Si autem conclusio hæc esset, vera est duratio, tunc

esset

esset indirecta, efferens scilicet minus extremum de maiori, ex hac annotatione patet, quid sit syllogismus directe concludēs, est, cuius conclusio est directa.

In quarta parte modi quatuor primæ figuræ fictis nominibus designantur, & sunt Barbara, Celarent, Darij, Ferio.

In quinta parte explicantur quatuor vocales, quæ in dictis vocabulis fictis inserūtur. Vocales sunt, a, e, i, o, A. designat propositionem vniuersalem aientem, e vniuersaliē negantem, i. particularem affirmantem, o. particularem negantem.

QVÆSTIO IN PRIMAM SYllogismorum figuram.

✝

Quæ figura præstantior?

Prima figura prestat alijs luce, nam luculētissime, & perspicuo cōcludens, & probās.

Prestat secundo complexu, nullum enim axiomatis genus non concludit, axioma scilicet ex toto, & parte, aiēs, & negās. At secūda figura affirmationē nullam cōcludit,

& tertia nullum axioma ex toto.

OPPOSITIO IN PRIMAM ſyllogiſmi figuram.

Syllogiſmi primæ figuræ probantur per principia ex ſe nota, ergo non ſunt luculentiſsimi exſe, nec perſpicui. Antecedens patet, in ſcholis peripateticis habentur quędã principia (vt aiunt) per ſe nota, quibus primæ figuræ ſyllogiſmi comprobãtur; & appellant illa dici de omni, dici de nullo.

Reſpondetur, hæc grauiora eſſe, quam preſens inſtitutum ferat, audies in Dialectica noua vberrime. Habe id pro conſtanti ſyllogiſmos primæ figuræ eſſe quam manifeſtiſsimos.

¶QVATVOR MODI PRIMÆ figuræ directi.

Primus modus conſtat ex præmiſsis. A. concludentibus. A. vt ſic, omne bonũ eſt durans, omnis magnitudo eſt bona, ergo omnis magnitudo eſt durans.

Secun-

Secundus modus fit ex maiori præmissa. E. & minori. A. concludentibus. E. vt sic, nullum malum est amabile, omne vitium est malum, ergo nullum vitium est amabile.

Tertius modus fit ex maiori. A. & minori. I. concludentibus. I. vt, omnis potestas est intelligibilis, Deue est potestas, ergo Deus est intelligibilis.

Quartus modus fit ex maiori. E. & minori. I. concludentibus. O. vt, nullum spiritale est visibile, quidam Angelus est spiritalis, ergo quidam Angelus non est visibilis.

Hic explicantur quatuor modi primæ figuræ, & directi, qui directe maius extremũ de minori concludunt. Habentur quatuor partes, in prima describitur primus mod⁹ barbara, est syllogismus primæ figuræ, cuius omnes propositiones sunt vniuersæ, & aientes. Exemplum habetur in litera.

In secunda describitur secundus modus celarent, est syllogismus primę figuræ, cuius maior est vniuersalis negans, minor vniuersalis aiens, & conclusio vniuersalis negans, sume ex litera exemplum.

In tertia parte deſcribitur tertius modus, darij, eſt ſyllogiſmus primæ figuræ, cuius omnes propoſitiones ſunt aientes, & maior vniuerſalis, minor autem, & concluſio particulares. Exemplum eſt in litera.

In quarta parte deſcribitur quartus modus ferio, eſt ſyllogiſmus primæ figuræ maior ex toto & negans, minor ex parte, & aiens, concluſio ex parte & negans, habetur exemplum in litera.

QVÆSTIO IN QVATVOR modos directos primæ figuræ.

An quatuor modi primæ figuræ directi ſint ęque præcipui.

Duo ſunt primi, & pręcipui, duo conſectarij. Præcipui, & primi ſunt, ac velut parentes, barbara, & celarent. Minus pręcipui, & conſectarij, ac tanquam fętus darij, & ferio, nã Darij Fætus eſt ipſius Barbara, & Ferio ipſius Celarent.

OPPOSITIO IN QVATVOR modos primæ figuræ directos.

Hic ſyllogiſmus, omne animal eſt ſub-

ſtantia,

ſtantia,& omnis homo eſt animal,ergo aliquis homo eſt ſubſtantia, eſt ſyllogiſmus primę figuræ, & directus, & non eſt vllus ex quatuor,ergo plures ſunt,quã quatuor. Maior eſt manifeſta,& minor itidem.

Reſpondetur diſtinguendo minorem, prę ſſe nullus eſt ex quatuor, at virtute eſt primus,& ſub primo contentus,perinde atque particulare ſub vniuerſali cõcluditur.

QVINQVE MODI PRIMÆ figuræ indirecti.

✝

Quinque autem modi indirecte concludẽtes ſunt,qui ſignificatur per iſtas dictiones Baraliptõ,Celãtes,Dabitis,Fapeſmo, Friſeſomorum.Baralipton, conſtat,ex maiori. a. & minori.a.concludentibus.i. Vt omne bonum eſt poſitiuum, quidquid Deus facit eſt bonum,ergo poſitiuum eſt quod facit Deus.

Celantes conſtat ex maiori,e,& minori. a. concludentibus.e. Vt nullnm virtuoſum eſt vitioſum, omnis gloria eſt virtuoſa, ergo nullum vitioſum eſt gloria.

Dabi-

Dabitis cõstat ex maiori, A. minori. I. concludentibus. I. Vt omne ens est intelligibile, quoddam particulare est ens, ergo quoddã intelligibile est particulare.

Fapesmo ex maiori, a. minori, e. concludentibus, o. Vt omnia noua placent, nullum antiquum placet, ergo quoddam placidum non est antiquum.

Frisesomorum constat ex maiori. i. & minori, e. concludentibus. o. Vt quidam homo est seruus Dei, nullus asinus est homo, ergo seruus Dei non est asinus.

In hac litera subiunguntur quinq; modi primę figurę, qui indirecte concludunt, traduntur quinq; partes, in prima parte explicatur baralipton, est syllogismus primæ figuræ, & indirectus, cuius vtraque pręmissarum est ex toto aiens, & cõclusio ex parte, exemplum habetur in litera.

In secunda parte explicatur celantes. Est syllogismus primæ figuræ, indirectus, cuius omnes propositiones sunt vniuersæ, maior & conclusio negantes, & assumptio aiens. Exemplum quære in litera.

In ter-

In tertia parte explicatur dabitis, eſt ſyllogiſmus primæ figuræ indirectus, cuius propoſitio eſt vniuerſalis aiens, aſſumptio & concluſio ex parte, & aiẽtes, exemplum pete ex litera.

In quarta parte explicatur ſapeſmo, eſt ſyllogiſmus primę figuræ, indirectus, cuius maior eſt ex toto & aiens, minor ex toto & negans. Concluſio ex parte & negans, exemplum habetur in litera.

In quinta parte explicatur friſeſomorũ, eſt ſyllogiſmus primę figuræ, indirectus, cuius maior eſt particularis aiens, minor vniuerſalis negans, concluſio particularis negans, exemplum eſt in litera.

¶QVÆSTIO IN QVINque modos primæ figuræ indirectos.

An ſint plures modi indirecti, quam quinque.

Sunt, nam omnes directi ſola præmiſſarum mutatione fiunt indirecti, barbara ſi præmiſſas vertis, fit indirectus.

Oppo-

OPPOSITIO IN QVINQVE modos primæ figuræ indirectos.

In Dialectica noua nullus de indirectis ſyllogiſmis eſt ſermo, ergo aut illa eſt de ficiens, aut hæc redundans.

Reſpondetur, ſyllogiſmi indirecti non inſeruiunt probationi, nuſquam enim per eos probatur, eam obrem in Dialectica noua, quæ ad probationem omnia refert, prætermiſsi fuere. Sed quia inferunt, ſunt huc adducti. Vide Corom. in Hernde, pag. 8. col. 1. f. Omisis

¶SECVNDA FIGVRA SYLlogiſmorum.

Secunda figura eſt illa, in qua terminus qui eſt prædicatum in maiori eſt prædicatum in minori. Vt dicendo, nullum animal eſt planta, omnis herba eſt planta, ergo nulla herba eſt animal, & habet quatuor modos qui ſignificātur per iſtas dictiones Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

Primus modus eſt ex maiori, e, & minori, a, concludentibus. e. Vt omnis homo eſt animal nullus lapis eſt animal, ergo nullꝰ lapis eſt homo.

Secundus modus fit ex maiori.a.& minori. e. cõcludẽtibus. e. vt omne bonũ eſt amabile nullũ malũ eſt amabile ergo nullũ malum eſt bonum.

Tertius modus fit ex maiori.e. & minori.i.concludentibus.o.Vt ſic nulla virtus eſt odibilis, quoddam vitium eſt odibile, ergo quoddam vitium non eſt virtus.

Quartus modus fit ex maiori.a.minori.o. concludentibus. o. Vt ſic omne creatum eſt bonum,peccatum non eſt bonum ergo peccatum non eſt creatum.

In hoc contextu agitur de ſecunda figura. Habentur quin; partes. In prima parte deſcribitur ſecunda figura, eſt, in qua medium eſt atributum in vtraq; præmiſſa. Sit exemplũ, nullus homo eſt rationis expers, at belua eſt rationis expers, belua igitur nõ eſt homo.

In ſecunda parte recenſentur modi ſecundę figurę. Sunt quatuor, Ceſare eſt ſyllogiſmus ſecundæ figuræ ex omnibus vniuerſalibus, media vero aiente. Exemplum primi modi, nullus Angelus eſt corpori cõiungibilis, omnis anima rationalis eſt coniũgibilis, ergo nulla ratiõalis aĩa eſt angel⁹.

In tertia parte explicatur secundus modus cameſtres, eſt ſyllogiſmus ſecundæ figuræ, cuius omnes ſunt ex toto, maior aiens, reliquæ negantes. Exemplum ſecũdi modi. Omnis virtus eſt amabilis, nullum vitium eſt amabile, ergo nullũ vitium eſt virtus.

In quarta parte explicatur feſtino, eſt ſyllogiſmus ſecundæ figuræ, cuius propoſitio eſt ex toto, & negans, aſſumptio ex parte, & aiens, concluſio ex parte, & negans. Exemplum tertij modi, nullus ſpiritus habet dimenſiones, ignis habet, ergo ignis non eſt ſpiritus.

In quinta parte explicatur baroco, Eſt ſyllogiſmus ſecundę figuræ, cuius maior eſt vniuerſa aiens, minor & concluſio particulares negantes. Exemplum quarti modi, omne animatum animam habet, magnes non habet, ergo magnes non eſt animatus.

¶QVÆSTIO IN SECVNdam figuram ſyllogiſmorum.

An ſecunda figura conferat ad probandũ.

Secun-

Secunda figura non modo confert ad recte inferendum, ſed & ad recte probãdum ſunt enim argumenta, quæ in ſecunda figura aptius quæſtioni accommodantur, quã in alijs figuris.

OPPOSITIO IN SECVNDAM figuram ſyllogiſmorum.

Feſtino continentur ſub Ceſare, & Baroco ſub Cameſtres, ſuperflunt ergo Feſtino, & Baroco.

Reſpondetur admittendo antecedens, & difitendo collectionem, nam & ſunt alij, & explicationi inſeruiunt.

TERTIA FIGVRA SYLLOgiſmorum.

Tertia figura eſt illa, in qua terminus, qui eſt ſubiectum in maiori eſt ſubiectũ in minori.

Et habent ſex modos, qui ſignificãtur per iſtas dictiones Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo. Feriſon. Primus modus cõ-

ſtat ex præmiſsis.a.concludentibus.i.vt omnis bonitas eſt magna,omnis bonitas eſt durans,ergo quoddam durans eſt magnum.

Secundus modus fit ex maiori.e. & maiori.a.concludentibus.o.Vt ſic,nullum bonum eſt vitioſum,omne bonum eſt amabile, ergo quoddam amabile non eſi vitioſum.

Tertius modns fit ex maiori. i. & minori. a. concludentibus, i. vt ſic quædam bonitas eſt æternitas, omnis bonitas eſt magna, ergo quoddam magnum eſt æternitas.

Quartus modus fit ex maiori.a. minori.i. concludentibus. i. Vt ſic omnis homo eſt rationalis,quidam homo eſt cerdo, ergo quidã cerdo eſt rationalis.

Quintus fit ex maiori.o.minori.a. concludentibus. o. Vt ſic quoddam ſenſibile nõ eſt mortale, omne ſenſibile eſt viſibile. igitur quoddam viſibile non eſt mortale.

Sextus fit ex maiori.e.minori.i.concludentibus.o.Vt ſic,uullum intellectuale eſt coloratum,quoddam intellectuale eſt anima,ergo quædam animæ non eſt colorata.

In hoc contextu exploratur tertia figura, continẽtur ſex partes. In prima deſcribitur tertia figura,eſt,in qua medium eſt bis ſub-

iectũ. Exemplũ omnis homo eſt animal, & omnis homo eſt ratiõalis, ergo aliquod rationale eſt animal.

In ſecunda parte continentur modi tertiæ figuræ, ſunt ſex, his vocabulis deſignati, Darapti, Felaptõ, Diſamis datiſi, Bocardo, Feriſon. Primus modus ita deſcribitur. Darapti eſt ſyllogiſmus tertiæ figuræ ex præmiſsis aientibus, & vniuerſis, concluſione vero particulari aiente. Exemplum primi modi, omne corpus eſt ad dimẽſiones aptum, & omne corpus eſt ſubſtãtia ergo aliqua ſubſtantia eſt addimenſiones apta.

In tertia parte explicatur Felapton eſt ſyllogiſmus tertiæ figuræ, cuius maior eſt ex toto negans, minor ex toto aiens, cõcluſio ex parte negãs. Exẽplũ ſecundi modi, nullũ animal eſt carẽs aĩa, omne animal eſt corpus, ergo aliquod corp' nõ eſt carens aĩa.

In quarta parte explicatur Diſamis, eſt ſyllogiſmus tertię figurę, cuius maior eſt ex parte aiẽs minor ex toto aiẽs, & concluſio ex parte aiẽs. Exẽplũ quarti modi, quidã homo eſt ęthiops, & omnis homo eſt rationalis ergo quidã rationalis eſt ęthiops.

In quinta parte explicatur datiſi, eſt

ſyllogiſmus tertię figuræ, cuius maior eſt vniuerſa aiens, minor & cōcluſio ex parte aientes. Exēplum quarti modi. Omne bonum eſt expetendum, & aliquod bonū eſt virtus, ergo virtus aliqua eſt expetenda.

In ſexta parte explicatur Bocardo, eſt ſyllogiſmus tertię figuræ, cuius maior eſt particularis negatio, & minor vniuerſalis affirmatio, & concluſio particularis negatio. Exemplum quinti modi, aliqua virtus non eſt temperantia, & omnis virtus eſt bonū, igitur aliquod bonum non eſt temperātia.

In ſeptima parte explicatur Feriſon, eſt ſyllogiſmus tertię figuræ cuius propoſitio eſt ex toto negans, & aſſumptio ex parte aiens, & concluſio ex parte negans. Exemplum ſexti modi, nullum animal eſt plāta, aliquod animal eſt ſentiens, ergo aliquod ſentiens non eſt planta.

¶QVÆSTIO IN TERTIAM figuram ſyllogiſmorum.

Qui modi ſunt capitales in tertia figura? Duo ſunt primi, ex quibus alij originem ducun-

ducunt, & sunt Darapti, Felapton, ex Darapti gignuntur Disamis, & dati fi. ex Felapton prodeunt Bocardo, & Ferison.

OPPOSITIO IN TERTIAM figuram syllogismorum.

Syllogismi tertię figurę nullum habent ad probandum vsum, ergo prętermitendi. Antecedens probatur, vix vsquam reperitur vsus Consecutio patet, nam finis illationis est probatio.

Respondetur difitendo antecedēs, nam etsi rarus sit vsus, & prima figura frequentior, at est, non igitur contemnendus.

OPPOSITIO IN DOCTRINAM de syllogismo.

De syllogismis connexis nulla doctrina tradita est, sed nec de hypotheticis, igitur doctrina de syllogismo imperfecta.

Respondeo, memineris hoc esse compendiolum, verum vt tuo gustui satis fiat, scito de syllogismis connexis, vt ex propo

ſitionibus categoricis ſit ſyllogiſmus cate-
goricus, ita ex connexis connexus. Scito
etiam duas eſſe formas propoſitionis con
nexe, quæ ſyllogiſmos connexos conſti-
tuunt disiunctiua videlicet expugnātibus,
& conditionalis.

His annotatis ſit concluſio, duplex eſt ſyl.
logiſmus connexus conditionalis, & disiū-
ctus. Conditionalis eſt, cuius altera ex præ-
miſsis eſt conditionalis, vt ſi ſummum bo-
num eſt, ſummum malum non eſt, at ſum-
mum bonum eſt, ergo ſummum malum
non eſt. Disiunctus eſt, cuius altera ex præ-
miſsis eſt disiunctiua ex repugnantibus cō
ſtans, vt aut hoc, aut illud, at non hoc, ergo
illud.

Habe iam de ſyllogiſmis hypotheticis,
quiquidē in lullianis literis creberrimi ſunt
faciles, & omne argumenti genus admittē-
tes. Annotabis deinde eſſe in ſyllogiſmo
hypothetico materiam, perinde atq; in ca-
tegorico. Sunt enim tres termini, & tres
propoſitiones. Annotabis denique in hy-
potheticis non conſiderari figuras eo mo-
do, quo in categoricis. His ita qua obſerua
tis,

tis, ſyllogiſmus hypotheticus duos habet modos legittimos,& rectos.

Primus modus eſt a poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis. Huius primi ſit exemplum, ſi Plato eſt doctrinæ capax, animam habet ratione vtentem, at eſt doctrinæ capax, ergo animam habet ratione vtentem.

Secundus modus eſt ab interitu conſequẽtis ad interitum antecedentis. Exemplum, ſi belua rationem habet, eſt diſciplinarum particeps, at belua non eſt diſciplinarum particeps, ergo nec rationem habet.

DOCTRINA DE INDVctione.

Inductio eſt argumentatio, in qua arguitur a ſingularibus ſufficienter numeratis ad ſuam immediatam vniuerſalitatem. Vt Petrus eſt bonus, Ioannes eſt bonus, & ſic de alijs, ergo omnis homo eſt bonus.

In hoc contextu tractatur de inductione, quam Græci epagogen dicunt.

Est argumẽtatio ab omnibus singulis pfecte enumeratis ad vniuersum proximum in asignata inductione, obseruabis per illã particulam & sic de alijs comprehẽdi omnia particularia non explicite enumerata.

QVÆSTIO IN DEFINITIONEM inductionis.

✝

Quot requiruntur ad rectam inductionem?

Duo requiruntur, primo, vt omnia particularia enumerentur, secundo, vt excursus fiat ad vniuersale proximum, nõ remotum. Defectu primi non valet. Omne quadrupes est rationis expers, & omne volatile itidem, & omne natatile, ergo omne animal est rationis expers. In antecedẽte omittitur homo. Defectu secundi nõ valet, omnis homo est sentiens, & omne brutum est sentiens, ergo omne corpus est sentiẽs. Hic corpus est vniuersale ad hominem & Brutum, sed remotum, & inter medium, proximum autem est animal.

Oppo-

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM inductionis.

Inductio procedit ab ęque ignotis, ergo non ſeruit probationi.

Reſpondetur, inductio vim habet ad probandum, cum a notioribus tendit. De eius valore ad colligendũ non eſt ꝙ dubitetur.

DOCTRINA DE ENTYMEMATE.

Entymema eſt argumẽtatio, in qua arguitur ab vna ſola præmiſſa ad concluſionem. Vt omnis homo eſt animal, ergo Petrus eſt animal.

In hac litera agitur de alia argumentationis ſpecie, quam Gręci entymema vocant, continentur in ea duæ partes, in prima deſcribitur entymema, argumentatio ex vna præmiſſa concludens. differt a ſyllogiſmo, nam in ſyllogiſmo ſunt duæ præmiſſæ, in entymemate vna.

In ſecunda parte illuſtratur entymema

hoc exemplo, omnis homo eſt animal, ergo petrus eſt animal. Hęc argumẽtatio eſt entymema, nam ab vna pręmiſſa excurrit, deeſt enim minor videlicet, Petrus eſt homo.

¶QVÆSTIO IN DOCTRINAM de entymemate.

Poteſt ne entymema in ſyllogiſmum verti?

Ex omni entymemate fit ſyllogiſmus addita, quæ deeſt præmiſſa, & ex omni ſyllogiſmo fit entymema altera ex præmiſsis dempta. Obijciet quiſpiam hoc entymema nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo, non poſſe verti in ſyllogiſmum, imo poteſt verti in Ceſare hoc modo, null' homo eſt lapis, & omnis lapis eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo.

OPPOSITIO IN DOCTRINAM de entymemate.

Hæc argumentatio, omne aĩal ſentit, ergo aliquod aĩal ſentit, eſt entymema, & nõ poteſt addi alia præmiſſa, ergo inualida eſt enty-

mematis definitio. Maior probatur, nō est ſyllogiſmus, neq; inductio, neq; exemplū, ergo entymema. Minor oſtenditur, nō poteſt ſuppleri alia præmiſſa.

Reſpondetur minorem, & probationē minoris negando, imo poteſt ſuppleri, hęc ſcilicet animal eſt animal.

DOCTRINA DE EXEMplo.

Exemplum eſt argumentatio, in qua arguitur ab vno particulari ad aliud, per aliud ſimile in eis reperꝛum.

Vt ſic Petrum ſeruire Deo bonum eſt, ergo Martinum ſeruire Deo bonum eſt. Similiter magnitudo eſt amabilis, ergo duratio eſt amabilis. Tenet argumentū per hoc ſimile, quod eſt bonum, & quia omne bonū eſt amabile.

In hoc cōtextu agitur de exemplo, ceu de ſpecie argumentationis. Habentur duæ partes, in prima deſcribitur exēplū, eſt argumentatio ab vno ad aliud excurrens propter ſimile in vtroq; repertum.

In ſecūda parte dātur duo exēpla. Martinū [illegible] ſeruire Deo eſt bonū, ergo & Petrū, 2. magnitudo eſt amabilis, ergo & duratio.

Simile in ambobus exemplis est bonum, in primo, quia Deus est bonus, conuenit, vt ab omnibus honoretur. In secũdo, quia bonum magnitudini, & durationi hæret, est magnitudo, itidem & duratio amabilis.

¶QVÆSTIO IN DOCTRInam de exemplo.

Collectio exempli cui innititur?

Tota illationis, & probationis vis, quæ exemplo inest, in simili sita est. Et proinde, quo maius est simile, eo collectio maior, & probatio efficacior.

OPPOSITIO IN DOCTRInam de exemplo.

Duæ contextus argumentationes sunt exempla, & non exprimitur in eis aliquod simile, ergo descriptio exempli est parum recta.

Respondetur, in exemplis quandoque ex primi simile, quandoq; intelligi. in litera non exprimitur, at facile est, vt percipiatur

piatur.

¶DOCTRINA DE CONSEquentia, & primo de eius principijs.

Principia consequentiæ sunt antecedẽs, & consequens, & nota consequentiæ.

Antecedens est illud, quod ponit in necessitate hoc, quod per ipsum suquitur.

Consequens est illud, quod necessitatẽ ante se ostendit.

Nota consequentiæ, dicitur illa coniũctio, mediante qua propositio quæ est antecedens, & illa quæ est consequens coniungun tur, sicut sunt igitur ergo, & similia.

In hoc contextu traditur de illatione doctrina, continentur quatuor partes In prima parte principia consequentiæ iaciũtur, & sunt antecedens, consequens, & nota illationis. Consequentia, consecutio, illatio, collectio, sequela, consequium eque valẽt.

In secunda parte describitur antecedens, est id, quod in necessitate constituit id, quod per ipsum sequitur, habetur descrip tio

tio hæc in proberbijs ad verbũ. Antecedẽs in argumentatione est axioma, quo ipsum consequens necessario constituitur in necessitate, in necessitate inquã illationis. Efficit enim antecedens, vt consequens necessario inferatur.

In tertia parte describitur consequẽs, est axioma, quod ante se necessitatem ostendit, antecedentis videlicet, a quo non potest non dependere.

In quarta parte agitur de nota illationis, est nexus antecedens cũ consequente connectens, & sunt si, ergo, igitur, & cõsimiles.

¶QVÆSTIO IN PRINCIpia consequentiæ.

Quare de antecedente, & consequente repetitur sermo?

Contextu de argumentationis doctrina facta est mentio de antecedente, & consequente, & hic Paulo altius repetitur. Illic facta est mentio, quatenus ad argumentationis structuram spectant, hic quatenus illationem inspiciunt.

Oppoſi-

¶OPPOSITIO IN PRINcipia consequentiæ.

Antecedens,& consequens sunt argumẽtationis principia,ergo non sunt ipsius cõsequentiæ.

Respondetur collectionem difitendo, nihil enim prępedit,quominus sint vtriusque.

DEFINITIO CONSEQVENTIÆ.

Consequentia est quædam ratiocinatio,in qua est antecedẽs, & consequens cum nota consequentiæ.

Vt dicendo,bonitas est,igitur duratio est, similiter bonitas est magna,igitur bonitas est durãs. Similiter homo est,igitur corpus & anima sunt.similiter Angelus est,igitur intellectuale est.

In hoc cõtextu describitur cõsecutio,cõtinẽtur duę partes. In prima asignatur finitio consequutionis est ratiocinatio, & illatio ipsa consequentis ab antecedente.

In

In secunda parte proponuntur quatuor exempla de consequutione. In his (vt consequutionem manu attingas) inspice tantũ sequelam, & exitum consequentis ab antecedente huiusmodi exitus est consecutio.

QVÆSTIO PRIMA IN DEFINITIONEM consequentiæ.

✝

Quot sunt in argumentatione potissimũ consideranda?

Tria videntur præcipue primum est, ipsius argumentationis compago, fit enim argumentatio quælibet ex terminis, & ex propositionibus antecedente videlicet, & consequente illationis nota connexis.

Secundum est illatio, quæ iam maioris est momenti, ac ponderis, quam sit argumentationis structura, & de hac hic prælibatur.

Tertium est, & omnis argumentationis Colopho, probatio, de qua in doctrina de probatione disseretur.

Quæstio

¶QVÆSTIO SECVNDA IN DEFINITIONEM consequentię.

Quotuplex est consequutio?
Duplex, valida, & inualida. Consequutio valida, recta, vera, & bona (hæc idem valēt) est, cuius consequens recte ab antecedente colligitur. Exemplum, Plato est Brutū, igitur est rationis expers. Hæc consecutio est manifeste recta, nam consequens ab antecedente recte colligitur, licet antecedēs, & consequens sint falsa.

Consequutio inualida, falsa, seu mala est, cuius consequens ab antecedente non bene colligitur vt, Plato fuit Atheniensis, igitur Cicero eloquens. Non ne conspicis, quam sit in epta collectio, & deridicula? Quæ inter antecedens & consequens conuentio, etiam si vtrumq; sit verum?

¶QVÆSTIO TERTIA IN definitionem consequentiæ.

Quo pacto cognoscitur consequutionis valor?

Per duos indices deprehēdi solet. Primus index est hic, dum antecedens non potest ne cogitari verum, quin simul sit cōsequēs verum, indubitatum est rectę collectionis indicium. vt si argumenteris, Plato est leo, igitur brutum, agnosces consequium valere, si antecedens finxeris verum, nam fieri nequit, quin pariter sit consequens verum.

Secundus index est, dum antecedens cogitari poterit verum, & simul consequens falsum, tum infirma est consecutio, qualis est hæc, præceptor legit, ergo discipuli audiunt.

¶QVÆSTIO QVARTA IN DEfinitionem consequentiæ.

✝

Quotuplex est consequentia valida?

Consecutio est dupliciter valida, tum ex forma, tum ex materia illa valet ex forma, quæ colligendi eam vim habet, vt quęcunque ipsi consimilis ex quibuslibet constituta tandundem valeat. Exemplum, omne animal est substantia, omnis homo est animal

mal, ergo omnis homo est substantia. hic muta pro arbittio dictiones, & axiomata, sed modum retine, nunquam ineficax fiet consequium.

Consecutio, quæ ex materia valet, est quę ex ratione partium valet, quibus demutatis, non amplius valebit. Exemplum, hæc argumentatio Plato currit, ergo mouetur, ratione axiomatum valet, sed muta proloquia, & formam quamtumuis retine, non ilico recte argumentaberis. Nam nihil valet, Plato currit, ergo quiescit.

Quæres, quæ argumentationes valent ex forma, & quę ex materia? syllogismi valent gratia formę, entymemata vero, inductiones, & exempla gratia materiæ.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM CONSEQUENTIÆ.

✝

Consecutio est illatio consequentis ab antecedente, ergo nō est ratiocinatio, siue argumentatio.

Respondetur per duas conclusiones. Conclusio prima est hæc, consecutio nec est antecedens, consequens, nec nota illationis, sed est ipsa illatio consequentis ab antecedente. Conclusio prima, sic probatur, admittimus sepe antecedens, similiter & consequens, at consecutionem difitemur, differt ergo consecutio ab antecedente, & cõsequente. Ostendo antecedens. In hac argumentatione homo est animal, ergo sol est lucidus, admittitur antecedens & consequens, consecutio tamen negatur. ediuerso difitemur sæpe antecedens, & cõsequẽs, consecutionem tamen admittimus, vt patet in hac argumentatione, homo est leo, ergo est quadrupes, hic antecedens, & consequens negatur, & consecutio concediturr.

Ex conclusione prima id corollarij sequitur, fateri consecutionem non est fateri antecedens, nec consequens. Cõsecutionem inficiari, non est antecedens, vel consequẽs inficiari. Id dumtaxat conceditur, vel negatur, consequens scilicet ab antecedente recte inferri.

Con

Conclusio secunda, ratiocinatio in contextu sumitur pro ipso excursu, & illatione vnius ab alio.

DOCTRINA DE PROBATIONE, & primo de eius finitione.

Probatio est argumentum, in quo veritas est aparens.

In hoc contextu incipit doctrina de probatione, in eius finitione sunt tres particulæ, prima est argumentum, id est argumentatio, in qua argumentum, id est ratio cum quæstione coniungitur. Secunda particula est, in quo ceu inspeculo. Tertia particula est, veritas est apparens, id est patens, & cognita.

QVÆSTIO PRIMA IN FINITIONEM probationis.

Probatio, quo pacto sumitur?

Probatio sumi solet generatim, & speciatim, hic sumitur generatim, speciatim autē a demostratione distinguitur.

QVÆSTIO SECVNDA IN DEfinitionem probationis.

Probatio ad quã dialecticę partẽ ſpectat?

Probatio pertinet ad criticam,& topicã, ope vtriuſque fit. Inuentio argumentum præbet, diſpoſitio argumentationem.

Hinc colligas, in hoc contextu inchoari de inuentionem tractatum. quæ enim hactenus de termino, propoſitione,& argumentatione explicata fuere, ad diſpoſitionem attinent. quæ de inceps ſunt explicanda inuentione egent, probatio nãque abſque argumento, ratione videlicet fieri non poteſt, at argumenta ex inuentione ſunt petenda.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIOnem probationis.

Argumentatio, in qua veritas eſt apparens, eſt paralogiſmus,& probationi oppoſitus, ergo prępoſtera eſt ꝓbationis finitio.

Reſpondetur, apparens hoc loco eſt manifeſtum, & patens, id ſcilicet quod ante

pro

probationem erat incognitum, atque inuisum. per probationem apparet notum, & perspicuum. opponens autem sumit apparens, pro eo quod videtur, sed non est id, quod videtur.

¶DIVISIO PROBATIONIS

Et fieri potest tribus modis scilicet authoritate, ratione, & demonstratione.

In hoc contextu diuiditur probatio in tres modos, continentur tres partes, in prima parte proponitur primus modus probationis, est q; probatio per authoritatem, seu testes. Sit in exemplum, Auicenna asserit elementa esse in mixtis, ergo sunt in mixtis.

In secunda parte proponitur secūdus modus probationis nimirū per rationes, isque modus est præstātior primo. Sit exemplū secundi modi, elementa sunt partes mixtorum, ergo sunt in mixtis.

In tertia parte proponit tertius modus, tanquā in gradu supremo collocat', & est probatio per demonstrationē. exemplū tertij modi, homo habet animā rationis participem, ergo est capax disciplinarum.

QVÆSTIO IN DIVISIONEM probationis.

Quare probatio per rationem a probatione per demonstrationem distinguitur?

Ad huius quæstionis explicationē præpono quattuor annotationes. Annotatio prima, probatio in vniuersum est duplex, altera fit ratione, altera authoritate.

Annotatio secunda, probatio per rationem diuiditur, quemadmodum ratio, in tot formas, in quot ratio.

Annotatio tertia, probatio per rationem, quædam nomē habet peculiare, alia caret. Exemplū de prima, probatio per rationem a causa, ab effectis item nomen sortita est proprium, nomen scilicet demonstrationis. Exemplum de secunda, probatio per rationem a differentibus, a dissentaneis, & ab id genus alijs priuato caret nomine, retinet tamē nomen generis, & appellatur probatio per rationem. Ex tertia annotatione consequitur fieri, vt probatio per rationē, & quatenus est ab authoritate distincta dupliciter soleat sumi, vniuersatī, & speciatī.

Anno-

Annotatio quarta, probatio per rationē vniuersatim est genus, demōstratio est species, demōstratio enim nihil est aliud, quā probatio per rationem a causa, ab effectis, ab æquiparantia.

His annotatis sit conclusio, in litera probatio per rationem sumitur speciatim, pro illa videlicet, quæ priuatum nomen nō est sortita, huncque in modum distinguitur a probatione per demonstrationem.

OPPOSITIO IN DIVISIONEM probationis.

Probationis diuisio habet membra diuidētia alterna, ergo est inualida. Antecedēs ostenditur, modus primus est sub secūdo, nam authoritas sub ratione comprehenditur, argumētari enim ab authoritate est per rationem argumentari, & authoritas inter argumentorum, & rationum formas vna connumeratur.

Respondetur cum distinctione, ratio sumitur late, & strictim. late, auctoritatem comprehendit. Strictim, distat ab authori-

tate quam longissime, opponens sumit late, litera strictim, & hoc iure stricto sępissime solet in Lullianis scriptis desumi, vt ratio ab authoritate discrimen capiat, sitque aptissima probationis diuisio in probationem per rationem, & probationem per authoritatem.

DOCTRINA DE DEMONSTRATIONE, & primo de eius diuisione.

Demonstratio sit tribus modis per quid, per quia, & per æquiparantiam.

In hac litera diuiditur tertius modus probationis per demonstrationē scilicet. diuisio est hæc, probatio per demonstrationē, seu demonstratio est triplex, per quid, per quia, & per ęquiparantiam.

Demonstratio per quid, per causam, & latius demonstratio a priori idem valet. Demonstratio per quia, ab effectis, & a posteriori idem. Demonstratio per ęquiparantiam, per ęquiparationem, & per ęquiparilitatem idem.

Quæ-

¶QVÆSTIO IN DIVISIONEM demonstrationis.

Quo pacto sumitur hic demonstratio? Sumitur quandoq; laxe pro omni probatione, hic vero sumitur pręsissime pro specie probationis per rationem sumptam a priori, a posteriori, & ab æquipari.

¶OPPOSITIO IN DIVISIONEM demonstrationis.

Demonstratio per æquiparantiam nõ fuit ab antiquis tradita, ergo non est admittenda.

Respondetur consecutionem difitendo, ratiocinium enim est ab authoritate negãdo, quod neutiquam valet, multa latuere antiquos, quæ post modum in lucem fuere ædita.

¶DEFINITIONES DEMONSTRA tionum.

Demonstratio per quid est, quando effectus

effectus demonstratur per causam, vel inferius seu posterius per prius siue superius. Demonstratio per quia est, quando per effectum causa demonstratur, vel quando per inferius seu posterius demonstratur superius siue prius.

Demonstratio per æquiparantiam est, quando aliquid æquale ignotum, vel minus notum demonstratur per æquale magis notum.

Et hæc est magis bona, & necessaria probatio, quam duæ prædictæ, quoniam per ipsam altiora demonstrantur.

In hoc contextu definitur vnaqueq; demonstrationis species, cõtinentur quatuor partes, in prima parte describitur demonstratio per quid, est demonstratio, in qua effectus per causam manifestatur vel inferius per superius, vel posteri⁹ per prius. exẽplum, in regno elementali est pugna, ergo & corruptio.

In secunda parte describitur demõstratio per quia, est demonstratio, in qua causa per effectum ostenditur, vel superius per

infe-

inferius,vel prius per poſterius,exemplum leo ſentit,ergo habet animam ſenſilem.

In tertia parte deſcribitur demonſtratio per ęquiparantiã.Eſt demonſtratio,in qua ignotum per ęquale notum,vel minus notum per ęquale notius explicatur. Exemplum,in diuina ſapientia eſt actus æternus, & infinitus , ergo & in diuina bonitate eſt actus æternus, & infinitus.

In quarta parte conferuntur inuicẽ tres demõſtrationis ſpecies in gradu, primatus tribuitur demonſtrationi per æquiparantiam,& probatur hac ratione , ſublimiora per eam oſtenduntur,quam per alias,ergo eſt ſublimior,antecedens patet , ea ſiquidẽ locũ habet in diuinis.

QVÆSTIO IN DEFINITIONEM demonſtrationis.

An demonſtrationis nomen alijs argumentis apte conueniat.

Nihil obſtat, quominus aptiſsime accõmodetur,ſed vſus in ſcholis obtinuit,vt demonſtrationis nomen ſolum argumento a cauſa

a causa,& ab effectis attribuatur, cum non minus apposite argumentis a toto, et partibus, a subiectis,& adiunctis, alijsq; consimilibus hæreat.

¶OPPOSITIO IN DEfinitiones demonstrationum.

✝

Hæc probatio homo est animal rationale, ergo homo est capax disciplinarum, est demonstratio perquid, at non est a causa, nec a priori, nec a superiori, igitur finitio demonsttrationis per quid est inualida. Minor probatur est a definitione, ergo nõ est a causa.

Respondetur datam probationem esse a causa, & a priori, nam animal rationale & causa est aptitudinis ad scientias,& prius ea aptitudine,& quamuis animal rationale sit finitio hominis, non tamen fit progressus ab eo ad hominem, sed ab eo ad capax disciplinarum, vt dici possit a finitione.

Doctri-

DOCTRINA DE TRIBVS LOcis, & primo de loco a maiori.

Locus a maiori est argumentum, quod fit de maiori ad minus.

In hoc contextu doctrina inchoatur de tribus locis, & in primis de loco a maiori. Est argumentum sumptum a maiori Exẽplum, potest homo mille miliaria per ambulare, ergo & quinquaginta.

¶QVÆSTIO IN DOCTRINAM de tribus locis.

Quam connexionem habet doctrina de locis cum ea, quæ traditur de probatione, & demonstratione?

Cum probatione habet connexionem, quam species habet cum genere, nam probatio est genus, probatio per locum a maiori, minori, & æquali species illius. Cum demonstratione habet connexionem vt species, cum specie. Nam sicuti demonstratio species est probationis, sic loci

a maiori

a maiori, a minori, & ab æquali probatio-nis ſpecies ſunt.

OPPOSITIO IN DOCTRINAM de tribus locis.

Plures alij ſunt loci, & ijs quos commemorat litera priores, manca igitur litera, & parum methodica. Antecedens eſt manifeſtum, eſt enim locus a finitione, a partibus & toto, ab adiunctis & ſubiecto, a differentibus, a diſſentaneis, atque ita deinceps de alijs.

Reſpondeo, antecedens ingenue dono, at memineris opponens compendiũ hoc eſſe, & pertrãſennã de rebus agi, ſatis ſit hic de probatione per rationem, vt eſt a demõſtratione diſtincta, hos tres locos attigiſſe, ne nihil attigiſſe litera videatur.

DIVISIO LOCI A MAiori.

Deus poteſt mundum creare, igitur poteſt ipſum conſeruare. Vel ſic, rex poteſt habere centum

centum milites, ergo potest quinquaginta, & hoc affirmatiue.

Sed negatiuæ sic, rex non potest expugnare castrum, ergo nec miles. similiter ignis non potest conburere lignum, ergo nec aer. Et sic patet, qualiter per istum locum potest homo arguere.

Conditio huius loci hæc est, ꝙ magis & minus cõcordent in hoc, in quo de vno ad aliud arguitur. Et propter hoc nõ sequitur, homo non potest facere poma, ergo nec pomus. Ratio quare non valet, est, quia homo & pomus non concordant in faciendo poma, nec per consequens homo est maior pomo, nec econuerso, in hoc quod est facere poma.

In hoc contextu diuiditur locus a maiori, continẽtur tres partes. in prima parte agitur de loco a maiori affirmato, & duobus exemplis illustratur. Primum exemplũ est, Deus potest creare, ergo & conseruare. Secundum exemplum, rex potest cẽtum milites habere, ergo & quinquaginta.

In secunda parte dantur duo exempla de loco a maiori negato. Exemplum primũ, rex non potest arcem expugnare, ergo nec

miles poterit. Exemplum ſecundum, ignis non poteſt lignũ conburere, ergo nec aer.

In tertia parte conſtituitur lex huius loci, lex eſt huiuſmodi, maius & minus debent, in eo ad quod comparantur, conſenſum habere. Huius cauſa infirmus eſt iſte excurſus, homo nõ poteſt ꝓducere poma, ergo nec pom⁹, homo enim & pomus in tertio neutiquam coeunt, imo non eſt a maiori excurſus, nam & ſi homo ſimpliciter maior ſit, quam pomus, at quo ad illud tertiũ non eſt maior.

¶QVÆSTIO IN DIVISIONEM loci a maiori.

Qui ſunt canones recte argumentandi a maiori?

Duos præſcribam canones, quibus addiſcas recte argumentari a maiori. Canon primus, ſi maius alicui conuenit, eidem cõueniet & minus. Exẽplum poteſt rex arcem munitiſsimam expugnare, ergo & immunitam.

Canon ſecundus, ſi maius non poteſt, nec minus

minus poterit. Exemplũ, rex hoſtes debellare non poteſt, ergo neq; miles.

¶OPPOSITIO IN DIVISIONEM loci a maiori.

✝

Ignis & aer æquantur, ergo argumẽtatio hæc, ignis non poteſt comburere, igitur neque aer, eſt argumentatio ab ęquali, & non a maiori.

Reſpondetur negando antecedens, nam ignis in comburendo eſt maior, quia per ſe calidus, aer vero minor, quia aſcite, & per ignem calidus.

¶DEFINITIO LOCI AB æquali.

✝

Locus ab æquali eſt argumentum, quod fit ab æquali ad æquale.

Vt homo eſt compoſitus ex anima & corpore ergo ſẽſualis creatura, & intellectualis eſt cõpoſita ex aĩo & corpore. ſimiliter

dicendo, risibile est bonum, ergo homo est bonus. Vel sic diuina bonitas est infinita sine quantitate, ergo diuina potestas est infinita sine quantitate.

Conditio huius loci est, q̃ res æquales concordent in hoc, in quo de vna ad aliud arguitur. Et propter hoc non sequitur, Raymundus est medicus, ergo Ioannes est medicus, quia potest esse cerdo.

In hac litera describitur locus ab æquali, habentur tres partes, in prima parte describitur locus ab æquali, est argumentũ, quo ab ęquali ad æquale fit progressus.

In secunda parte proponuntur tria exẽpla de loco ab æquali, primum exemplum est, homo constat animo & corpore, ergo natura creata, quæ intellectualis & sensilis est, constat animo & corpore. Exemplum secundum, risibile est bonum, Ergo homo est bonus. exemplum tertium, diuina bonitas est infinita sine quantitate, ergo diuina potestas est infinita sine quantitate.

In tertia parte statuitur lex huius loci, lex est, vt æqualia in tertio, ad quod comparantur, conueniant, ob id non valet excursus iste,

iste, Ioannes est medicus, ergo & Paulus non enim est inter eos æqualitas in illo tertio.

QVÆSTIO IN DEFINITIONES loci ab æquali.

Qui sunt canones rationandi ab æquali?

Tres sunt, primus canon, si æquale alicui conuenit, vel dissentit, eidem alteri æquali conueniet, vel dissentiet. Hinc duæ argumentandi formulæ. exemplum primę Plato potest centum auri pondera ferre, ergo & centum argenti. Exemplum secūdæ Angelus non potest de nihilo condere, ergo non potest in nihilum redigere.

Canon secundus, si quippiam conuenit vel dissentit æquali, idem & alteri æquali conueniet, vel dissentiet. Et hinc duæ argumentandi formæ. Exemplum primę, diuina bonitas est infinita, ergo & diuina potestas. Exemplum secundæ, tu nolles sacrilegium admittere, & tantum mihi impingis facinus?

Tertius canon, si æqualę ęquali cōuenit vel dissentit, alterum æquale alteri æquali conueniet, vel dissentiet. Hinc duę argumē

tandi formæ. Exemplum primæ, Plato est capax disciplinarum, ergo & Socrates est capax virtutum. Exemplum secundæ est apud Terentium, quando ego non curo tuum, tu ne cura meum.

¶OPPOSITIO IN DEFINITIONEM loci ab æquali.

Hæc argumentatio risibile est bonũ, ergo homo est bonus est ab ęquiualentibus, nõ ergo ab ęqualibus.

Respondetur esse ab æqualibus, nec esse absurdum, vt diuersa ratione a diuersis locis sit eadem argumentatio.

DEFINITIO LOCI A minori.

Locus a minori est argumentum, quod fit de minori ad maius.

Vt sic miles potest habere equũ, ergo et rex homo non potest ferre decem pondera, ergo non potest ferre viginti. Aer potest calefacere, ergo ignis.

Itaque iste locus procedit affirmatiue, et nega

negatiue, sicut dictum est de loco a maiori.

Conditio huius loci est ꝙ minus, & maius concordent in hoc, de quo de vno ad aliud arguitur. Et propter hoc non sequitur aquila potest volare, igitur homo potest volare, quoniam homo & aquila non concordant in volare.

Hic describitur locus a minori, continẽtur quatuor partes, in prima parte est hæc descriptio locus a minori est argumẽtum, quod fit a minori.

In secunda parte asignantur tria exempla, primum exemplum, miles potest habere equum, ergo & rex potest. Secundum exemplum, homo non potest decem pondera ferre, ergo nec viginti. Tertium exemplum, aer potest calfacere, ergo & ignis.

In tertia parte adiungitur annotatio, hic locus a minori dupliciter fit, perindeatque locus a maiori, aiendo scilicet, & difitẽdo.

In quarta parte statuitur lex, minus & maius in tertio conuenire opportet, vt valeat excursus, & propterea nihil valet, aquila potest volare, ergo & homo potest.

QVÆSTIO IN DEFINITIONEM loci a minori.

Qui ſunt canones recte argumentandi a minori?

Habeto duos, primus eſt, ſi minus poteſt, & maius poterit. Exemplum habetur in litera, miles poteſt equum habere, ergo & rex poteſt.

Secundus canon, ſi non poteſt in minus ne poterit in maius. Exemplum habes in litera, non potes decem portare, ergo neque viginti poteris.

OPPOSITIO IN DEFINITIONEM loci a minori.

Illud literę exemplum aquila poteſt volare, ergo & homo, nō eſt a minori, igitur ſuperfluit lex aſsignata.

Reſpondetur abſolute eſt a minori, nam aquila minor eſt homine, quod ad tertiū vero non eſt minor, verum ne huius diſtinctionis inſcij fallerentur, ea lege opus fuit.

OPPOSITIO IN DOCTRINAM de locis.

Doctrina de locis, res eſt magni momenti & commodi, non debuit imperfecte tradi.

Reſpon-

Respondeo, de hac imperfectione, deq; alijs locis vberrime audies dis.5.logicæ nouę. Compendium has fert imperfectiones, nūc gustū aliquē habe. Sit prima quæstio.

QVÆSTIO PRIMA.

Quot sunt loci in vniuersum?

Insequendo probationis diuisionem in litera traditam, sic locum siue argumentum distribuo, argumentum aut est per authoritatem, aut per rationē, & ita in genere duo sunt loci, primus est per authoritatem, secundus per rationem.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quot sunt loci ab authoritate?

Locus seu argumentum ab authoritate est duplex, scilicet ab authoritate diuina, & ab authoritate humana. Exemplū primi, scriptura diuina pronūtiat in principio creauit Deus cælum & terram, non est ergo orbis æternus. Exemplum secundi, omnes homines natura scire desiderāt Aristotele teste,

ergo innatus est appetitus sciendi.

QVÆSTIO TERTIA.

Quot sunt loci per rationem?

Locus per rationem est in vniuersum duplex, est primo argumentum nominis, secundo rei. Nominis est, quod a nomine sumitur. rei est, quod a rei natura. Exemplũ primi, est homo ab humo, ergo mortalis. Exemplum secundi, constat homo expugnantibus, ergo mortalis.

QVÆSTIO QVARTA.

Quotuplex est argumentum nominis? Est triplex, primum est argumentũ ab etymo, secundum est ab interpretatione, tertium est a coniugatis, Exemplum argumẽti ab etymo, bellum a belua est dictum, fugiendum ergo. Exemplum argumenti ab interpretatione, Christus Iesus est Emmanuel, ergo est nobiscum Deus. Exemplũ argumenti a coniugatis, homo es, humani igitur nihil alienum a te puta.

Quæ-

QVÆSTIO QVINTA.

Quotuplex est argumentum rei?

Est duplex, alterum sumptum ab absolutis, alterum sumptum a relatis. Exemplum primi, habet pulmonem, ergo respirat. Exẽplum secundi, est cæcus, ergo nõ est videẽs.

QVÆSTIO SEXTA.

Quot sunt argumenta rei ab absolutis deprompta?

Septem sunt genera, primum genus est a causa & effectis. Et de his habetur. exemplum in litera, argumentum enim a causa constituit demonstrationem perquid, & argumentum ab effectis demonstrationem per quia.

Secundum genus est a genere & specie. Exemplum primi, pyrus non est animal, igitur nec est homo. Exemplum secundi, Plato est homo, ergo est animal.

Tertiũ gen° est a differẽtia & differẽti. Exẽplũ primi, homo est ꝑ se, ergo est substãtia. Exemplum secundi, albedo est accidens, ergo

ergo est in alio.

Quartum genus est a parte & toto, exẽplum primi, habes animam ratione vtentẽ cum corpore coniunctam, ergo es homo. Exemplum secundi, est animal, ergo habet animam sentiendi.

Quintum genus est a subiectis & adiunctis. Exemplum primi, nõ est corpus, ergo nec dimensiones habet. exemplum secundi, es philosophus, ergo es intellectu præditus.

Sextum est a definitione & definito. Exẽplum primi, est ars recte argumentandi, ergo est Dialectica. Exemplum secundi, non est substantia, ergo non est ens per se.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Quot sunt argumenta rei ex relatis desumpta?

Sunt nouem, primum est ab eisdem. Exẽplum, belua non caret sentiendi anima, ergo nec homo.

Secundum est a distinctis. Exemplũ justicia reddit vni cuiq; quod suũ est, nõ ergo fortitu-

fortitudo.

Tertium est a similibus. Exemplum, faber instrumentis conficit opus, igitur dialecticus argumentatione verum & falsum conficit.

Quartum est a dissimilibus. Exemplum ex disiunctis nunquam fit vnum, ergo ex elementis coniunctis fit mixtum.

Quintum est ab oppositis. Est audiens, non ergo surdus.

Sextum est a priori & posteriori. Exemplum primi, non concepit, ergo nec peperit. Exemplum secundi, peperit, ergo cōcepit, & duo hæc ad demonstrationem per quid, & quia referuntur.

Septimum est a coæuis. Exēplum pater est, ergo filius est.

Octauum est a maiori, & minori. et de his egimus in litera.

Nonum est ab æquali, de quo habes in litera, & sub hoc comprehendi debet argumētum ab ęquipari, quod demonstrationem per ęquiparantiam ęonficit.

Doc-

DOCTRINA DE FALLACIJS.

Paralogiſmus eſt argumentum, indicans eſſe verum, quod falſum eſt, & econtra. et ideo dicitur paralogiſmus, quaſi apparens ſyllogiſmus.

Paralogiſmus fit duobus modis, vno modo indictione, alio modo ex tradictionem.

Paralogiſmus indictione fit ſex modis, ſecundum quod fallaciæ indictione ſunt ſex, ſcilicet æquiuocatio, amphibologia, Compoſitio, diuiſio, accentus, figuræ dictionis.

Et dicuntur indictione ex eo ꝙ indictione, & per dictionem fit deceptio, vt patebit inferius.

Hic doctrina traditur de fallacijs. Eſt autem fallacia parologiſmus ipſe ad fallendum idoneus. cōtinentur in contextu quatuor partes. in prima definitur paralogiſmus. Argumentum indicans eſſe verum, quod falſum eſt, & falſum, quod verū eſt. Argumentum ſumi poteſt tum pro tota argumentatione, tum pro tatione ipſa. Eſt autem

tem paralogiſmus perinde atque aurum falſum, quod videtur eſſe aurum, & nõ eſt,

In ſecunda parte diuiditur paralogiſmus, vt alius ſit in dictione, alius ſit extra dictionem.

In tertia parte notatur ſextuplex indictione paralogiſmus, videlicet homonymię, amphibologiæ, compoſitionis, diuiſionis, accentus, & figurę dictionis.

In quarta parte redditur ratio, cur vocentur indictione, nõ quia ex dictionibus coaleſcant, cum omnis fallacia ex dictionibus conſtet, ſed quia ex parte dictionis fit captio, ratiõe videlicet attributi alicuius, quod dictioni conueniens eſt.

QVÆSTIO IN DOCTRINAM de fallacijs.

*

Paralogiſmi quot modis peccant?

Reſpondetur, duobus, quidam in illationẽ, videntur quidem colligere, & male colligunt. Alij in ipſam probationem, qui probare videtur, cum ſint probationis

Caſi

casi Petitio principij in probationem peccat, aliæ fallaciæ omnes in collectionem.

OPPOSITIO IN DOCTRINAM de fallacijs.

Satis superque est argumentationibus veris, vana est ergo doctrina de fallacijs. Antecedens probatur, rectum est index sui, & obliqui.

Respondetur, satis superque sit, at nusquã nimis, quod nusquam satis. Vbertas si lucẽ confert, non nocet, sed prodest.

DE FALLACIA ÆQVIVOCationis, & amphibologiæ.

Fallacia æquiuocationis est deceptio proueniẽs ex eo, quod aliqua dictio plura diuersi mode significat. sicut hæc dictio canis significat canem latrabilem, & quendã piscẽ marinum, & quoddam signum cæli.

Fallacia Amphibologiæ est deceptio proueniens ex eo quod oratio penitus eadẽ plura significat. sicut hæc oratio, liber magistri

tri, habet duos sẽsus. vnus est liber magistri idest factus a magistro. alius est liber magistri id est possessus a magistro.

In hac litera sunt duæ partes. In prima describitur fallacia homonymię, quę nimirum ex homonymo prouenit, est autem homonymon vox diuersis rationibus significans. Fit paralogismus hoc pacto, omnis canis est latrabilis. Sydus cęleste est canis, ergo sydus cęleste est latrabile.

In secunda parte describitur fallacia amphibologiæ ex oratione amphibologica nascens. est autem oratio amphibologica oratio eadem diuersos reddens sensus. Fit in hunc modum. quidquid est Aristotelis possidetur ab Aristotele, hic liber est Aristotelis, ergo possidetur ab Aristotele.

¶QVÆSTIO IN FALLACIAM æquiuocationis, & amphibologiæ.

Quid interest inter vtranque fallaciam? Respondetur, homonymia est ex parte dictionis, amphybologia ex parte orationis.

OPPOSITIO IN FALLACIAM ęquiuocationis,& amphibologiæ.

Tres ſunt ſallacię, quæ in idem cadere poſſunt,fallacię ſcilicet homonymię, amphibologiæ, & accentus, omnes enim homonymia laborant,non igiur ſunt diſtinguendæ.

Reſpondetur,& ſi poſſent in idem reduci,diſtinguntur nihilo ſecius,nam ſi oratio ambigua eſt,fallaciam amphibologiæ parit.Si dictio eſt,& penitus.eadem, diuerſis rationibus ſignificans, captionem homonymię,gignit.Si dictio eadem, ſed ratione prolationis varię diuerſa ſignificans, paralogiſmum accentus conficit.

DE FALLACIA COMPOSITIONIS & diuiſionis,& accentus.

✝

Fallacia compoſitionis eſt deceptio prouenienſ ex potentiali multiplicitate alicuius orationis,cuius dictiones ad inuicem compo

ni poſ-

ni possunt, & in sensu composito sunt falsæ, & in sensu diuiso sunt veræ. Sicut hæc oratio, quicquid viuit semper est; haec dictio semper, si ponatur cum hoc verbo viuit, sic est vera. Si autem ponatur cum hoc verbo est, sic est falsa. Similiter de ista, quicquid existit vbique est.

Fallacia diuisionis est deceptio proueniẽs ex potentiali multiplicitate alicuius orationis, cuius dictiones adinuicem diuidi possũt, & in sensu diuiso est falsa. In composito autem vera, sicut haec oratio, omnis creatura est sensualis, vel intellectualis, potest habere duos sensus, vnus est, ꝙ omnis creatura sit sensualis, vel omnis creatura sit intellectualis, & sic est falsa. Vel potest esse iste sensus, omnis creatura est sensualis, vel intellectualis simul, & sic est vera.

Fallacia accentus est deceptio proueniẽs ex eo, quod aliqua dictio pronunciata diuersimode diuersa significat, sicut haec dictio, occidit, quando penultima syllaba est longa, significat interficere. sed quando penultima syllaba est breuis, tũc signifi. cadere.

Hic tres fallaciæ describuntur vna com-

positionis, diuisionis altera, & accentus tertia.

Cōpositionis fallacia est deceptio ex multiplici potentialitate proueniens. Ad huius explicationem nota, multiplex tribus modis significari. Quoddam est actuale, dictio scilicet, vel oratio modis omnibus eadem, tum quoad literas, & syllabas, tum quoad accentum, quantitatem, spiritum lenem, vel asperum, & eadem puncta. & per huius modi multiplex actuale, peccant homonymiæ, & amphibologię captiones. Aliud est multiplex potentiale, dictio nimirum, vel oratio ijsdem literis, & syllabis coalita. Sed in accentu, syllabarum quantitate, spiritu, vel punctis varians, & ratione huius multiplicis potentialis contingunt fallaciæ compositionis, diuisionis, & accentus. Tertium est multiplex phantasticum, natum ex conuenientia inter dictiones, & orationes in aliquo. Et hinc procedit fallacia figurę dictionis.

His adnotatis, fallacia compositionis, et diuisionis ex multiplici potentiali in oratione varie coniunctorum, euenit. oratio nā-

que

que varie compacta ſenſũ efficit vel diui-
ſum, vel compoſitum. et interdum in vno
ſenſu eſt vera, interdum falſa. Si fiat a ſenſu
diuiſo ad compoſitum, fallacia emergit
compoſitionis. Si a cõpoſito ad diuiſum,
fallacia fit diuiſionis. Sumatur hæc enun-
tiatio, quidquid viuit ſemper eſt, Si ſemper
cum verbo viuit, coniungatur, ſenſum red-
dit diuiſum, & eſt vera. Si cum verbo eſt,
ſenſum reddit compoſitum, & eſt falſa. Si
ergo argumentaris a ſenſu diuiſo ad com-
poſitum, fallacia committitur compoſitio
nis, vt quidquid viuit ſemper eſt, Plato vi-
uit, ergo ſemper eſt.

Deſcribitur deinde diuiſionis fallacia,
paralogiſmus ſcilicet a ſenſu cõpoſito ad
diuiſum, nam a conſequente fallaciæ iſtæ
nomen ſortiũtur. proponatur hęc oratio.
omnis creatura eſt ſenſualis, vel intellectua
lis, ſi diuiſim ſumatur, & fiat hypothetica
propoſitio, ita vt in duo abeat axiomata,
omnis creatura eſt ſenſualis, vel omnis
creatura eſt intellectualis, reddit tunc ſen-
ſum diuiſum, & eſt falſa. Si vero coniũctim
ita vt ſit categorica de diſiuncto extremo,

tunc eſt ſenſus compoſiti,& vera.Si fiat ergo excurſus a ſenſu cōpoſito ad diuiſum, fallacia diuiſionis committitur , vt omnis creatura eſt intellectualis,vel ſenſualis, ſed Angelus eſt creatura,ergo eſt ſenſualis. Deſcribitur tertio fallacia accentus, ex diuerſa ſyllabarum quātitate,vel tenore proueniens. Sit in exemplum, occidit accentu in prima collocato valet,perit.ſi in penultima,valet interficit.

QVÆSTIO IN FALLACIAS COMpoſitionis, diuiſionis, & accentus.

Quæ propoſitio reddit ſenſum compoſitum,& quæ diuiſum?

Reſpondetur, ab authoris mente, non a præceptis petendus eſt, quippequi, ab eius arbitrio pendeat,

OPPOSITIO IN FALLACIAS compoſitionis,diuiſionis, & accentus.

Fallacia accentus ex ſola ſyllabarum quantitate

titate nascēs in vtilis est. Exoleuit enim ab latinorum auribus temporum mora in syllabis longis, aut breuibus obseruanda.

Respondetur, esto sit inutilis, qualis est hæc omne malum est fugiendum, pomū est malum ergo fugiendum. aptius quidē est, vt in homonymiæ fallaciam reijciatur.

DE FALLACIA FIGVRÆ dictionis.

✝

Fallacia figuræ dictionis est deceptio, quæ fit ex eo quod aliqua dictio est similis alteri dictioni, videtur eundem modum significandi habere, sed tamen non habet, vt sic, omnis aqua est frigida, mare est aqua, igitur est frigida.

Fallacia figuræ dictionis ex similitudine nascitur, quam dictio habet cum dictione, adeo vt propter illam similitudinem videantur ambæ in aliquo conuenire. Vt quia mare & aqua inter se coeunt,

existimatur, vtrumque esse eiusdem generis.

QVÆSTIO IN FALLACIAM FIguræ dictionis.

Quæ inter fallacias in dictione est maior? Respondetur, fallacia figuræ dictionis. Nã est periculosior, etque peritos etiam fallere solet, qualis est hæc, quicquid emisti, comedisti, crudum emisti, ergo crudum comedisti. figura dictionis inter quicquid, & crudum nos decipit, cum tamẽ quidquid substantiæ sit, & crudum qualitatis.

OPPOSITIO IN FALLACIAM figuræ dictionis.

Fallacia figuræ dictionis puerilis videtur, & ex grammaticis petenda.
Respondetur, sunt quandoque exiles, & inuentu faciles. At sunt aliæ abstrusissimę, et quę emunctissimas nares ex poscunt.

DE FALLACIIS EXTRA DICTIOnem, & primo de fallacia accidentis.

Fallaciæ extra dictionem sunt septem, scilicet

cet accidentis, a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ignorantia elenchi, petitionis principij, consequentis, non causæ vt causa, secũdum plures interrogationes, vt vnã.

Et dicuntur extradictionem. quia fit fallacia de sophisticis propositionibus, & causa apparens sumitur ex parte rei. et in hoc differunt a fallacijs in dictione, in quibus causa apparens sumitur exparte vocis.

Fallacia accidentis est deceptio, quæ fit ex eo quod aliquid significatur simpliciter in esse vtrique eorum, quæ aliqualiter vnum sunt, vt, sicut homo est animal, & animal est neutrum, ergo homo est neutrum, non valet cum homo & animal non sint vnum simpliciter.

Hic habentur tres partes. In prima diuiditur fallacia extra dictionẽ in septẽ formas, accidentis, a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ignorantiæ elenchi, petitionis principij, consequentis, non causę vt causæ, & secũdum plures interrogationes, vt vnam.

In secunda parte discrimen assignatur in-

ter fallacias in dictione, & extra dictionem apparentiæ causa in fallacijs extra dictionē sumitur ex parte rei, in alijs ex parte vocis.

In tertia parte describitur fallacia accidē. tis ex eo contingens, quod aliqua quę quo quam pacto vnum sunt, existimentur vnū simpliciter, & ab hanc existimationē quod vni tribuitur, alteri accommodatur. Exempli gratia, homo & animal vnum quoddā sunt, sed non simpliciter. Cum ergo colligitur, vt quia animal neutrius est generis, homo item eiusdem sit generis, fallacia fit accidentis.

QVÆSTIO IN FALLACIAM accidentis.

Accidentis techna est ne metuenda?

Respondetur, maxime, & quæ sępe est obuia, etiam expertis.

OPPOSITIO IN FALLACIAM accidentis.

Captio accidentis videtur cum fallacia figu-

figuræ dictionis hærere. Huius siquidem exempla ad illam referri possunt.

Respondetur, esto, possunt quidem sophismata ad diuersos locos referri, sed diuersis rationibus, ad figuræ dictionis locũ, quatenus ex dictionis similitudine deceptio nascitur, ad locum accidentis, quatenus ex rerum conuenientia.

FALLACIA A DICTO SECVNdum quid ad dictum simpliciter, & de fallacia ignorantiæ Elenchi.

✝

Fallacia secundum quid & simpliciter est decepcio quæ fit ex eo, quod dictum secundum quid, sumitur tanquam si esset simpliciter, vt sic, Adam est homo mortuus, ergo est homo. non valet, quia arguitur a dictione secundum quid ad dictionem simpliciter. Fallacia ignorãtiæ, elẽchi ẽ deceptio, quę fit ex eo, quod non seruantur ea, quæ requi-

runtur

runtur ad diffinitionem contradictionis, vt sic, homo est in Ecclesia, & non est in mari, ergo est, & non est.

Contextus hic duas tradit partes. Prior describit fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. est autem dictũ simpliciter dictio absq; adiectione, vt homo. dictum secundum quid est eadem dictio cũ adiectione, diminuẽte, vt homo pictus. Posterior pars delineat fallaciam ignorantiæ elenchi quæ videlicet ex omissione alicuius ad contradictionem requisiti, proueniens est, ad contradictionem autem quatuor requiruntur, ad idem, secundum idẽ, similiter, & in eodem tempore.

QVÆSTIO IN FALLACIAM ignorantię elenchi.

Vnde hoc nomen?

Respondetur, Elenchus hoc loco argumẽtationem indicat, quæ alicuius conclusionis oppositum colligit. et dicitur ignorantia Elenchi, id est argumentationis, quæ oppositum alicuius concludere videtur, cum re ipsa

re ipsa non concludat ex prætermissione alicuius ad contradictionem requisiti.

OPPOSITIO IN FALLACIAM a dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

Hæc argumentatio, paulus est homo albus ergo est homo. est a dicto secundum quid, & valida.

Respondetur, non est a dicto secũdum quid, nam determinatio nõ est diminuẽs, vti oportet, quippe quæ de hominis ratione nihil demat.

DE FALLACIIS PETITIONIS principij, & consequentis.

Fallacia petitionis principij est deceptio, quae fit ex eo, quod idem sumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo. vt, si velis probare, quod homo legat, & probatur sic, animal rationale legit, ergo homo legit.

Fallacia consequentis est deceptio, quae fit ex eo, quod consequens existimatur omnino

mnio idem esse antecedenti. Vt si est homo, est animal, ergo si est animal, est homo. non valet.

Fallacia petitionis principij est, dum idē ad sui probationem profertur. In exēplo litterę intellige, si antecedens sit æque ignotum, ac consequens.

Fallacia consequentis, est dum aliqua videntur recurrere, & neutiquam recurrunt, obidque putetur mutuus fieri posse recursus ab vno ad alterum. vt si est homo, est animal, igitur econuerso, si est animal, est homo.

QVÆSTIO IN FALLACIAM petitionis principij.

Argumentatio hæc homo est leo, ergo homo est animal, in quam fallaciam cadit?

Respondetur, non potest in aliam cadere, quam in petitionem principij. cū enim probare debeat, & non probet, petitur principium, & actum agitur, id est quæstio pro improbata relinquitur. Quādo autem idē

ijsdem

ijsdem verbis se ipsum probat, manifestissima est fallacia, et proinde ridicula.

¶OPPOSITIO IN FALLACIAM consequentis.

Licet quandoque a consequentis positione ad antecedentis positionem progredi, ergo fallacia consequentis non est certa.

Respondetur, licet, sed in his, quæ mutuo reciprocantur. id quod euenit ex reciprocatione, non ex vi illationis.

DE FALLACIIS NON CAVSÆ vt causa, & secundum plures interrogationes, vt vnam.

Fallacia non causæ, vt causa, est deceptio, quæ fit ex eo, quod inter præmissas, ex quibus sequitur conclusio, ponitur aliqua propositio quæ nihil facit ad conclusionem, & propter hoc dicitur non causa.

Fallacia

Fallacia secundum plures interrogationes, vt vnã, est deceptio, quae fit ex eo, quod ad interrogationem, quae est plures, datur vna responsio. sicut, si quaeratur, mel et fel sunt dulcia? si respondeatur, non, ergo mel non est dulce. Si respondeatur, sic, ergo fel est dulce.

Hic duæ notantur fallacię. vna est non causæ, vt causæ, contingens ex inmixtione alicuius axiomatis interpręmissas, vt, omne animal est equus, & omne animal est sensibile, omnisq; homo est animal, ergo omnis homo est equus. tunc vltra, consequẽs est falsum, ergo & antecedens, non illud, omnis homo est animal, ergo illud omne animal est sentiens. Hic interimitur axioma, quod conclusioni inferende, interrmiscetur, & ad inferendum nihil agit.

Altera est, quando vna responsio ad multiplicem interrogationem respondetur, et ex vna responsione, nectitur dolus. in litera exemplum est apertissimum.

QVÆSTIO IN OMNES FALlacias.

Quod vitium est in fallacijs maius?

Respondeo

Respõdetur, vitiũ in collectionem est multo maius, cum id ipsum etiam sit in probationem diruta. siquidem consequutione, labascit probatio.

OPPOSITIO IN OMNES fallacias.

Ad argumentationis probationem non est opus fallacijs, ergo aliud remedium expeditius adhiberi posset.

Respondetur, adhibeatur quodcumque, tandem in locum aliquem ex sophysticis deuenietur.

DOCTRINA DE DISPVtatione.

Disputatio est contrarietas spiritualis, quæ per verbum manifestat conceptionem, quam habet vnus intellectus contra alium.

Postremum huius compendioli locum obtinet doctrina quędam de disputatione, de litteraria inquam pugna, nõ corporum, sed animorum, non pugnis, sed verbis exercita vnius in alium.

QVÆSTIO IN DOCTRINAM de disputatione.

Disputatio quotuplex est?

Respondetur, duplex. Altera vnius secũ, altera cum alio. de commissa cum alio hic agitur, quæ multis malis est exposita, affectibus, fraudibus.

OPPOSITIO IN DOCTRINAM de disputatione.

Extra methodi rationem videtur hæc doctrina.

Respondetur, methodus hæc prudentiæ est, non artis. Videns Lullus iuuenum animos ad diatribas literarias propensos esse, voluit huius negotij esse admonitos, nenis effluant.

LEGES DE DISPVTATIONE.

Disputans primo debet habere intentionẽ cognoscẽdi, & amandi veritatẽ & cognoscendi, & odiendi falsitatem. Et propter hoc verus disputator debet concedere vera cognita, & falsa negare.

Secundo, quod supponatur in principio, quod vtraque pars quæstionis sit possibilis, scilicet affirmatiua, vel negatiua, vt intellect. inuestigatione sit liber, & non ligatus.

Tertio quod arguens probet, vel improbet per aliquam speciem argumentationis, fundando

dando argumentum super aliquam speciẽ demonstrationis.

Quarto quod inter disputationes sit communis amicitia, vt refrenetur particularis contrarietas, quam habent circa hoc, de quo disputant.

In hoc contextu describuntur quatuor leges in literarijs disputationibus obseruãdæ. Prima est hæc, debet disputans eo animo esse, vt ad vnicam veritatem feratur, eã agnoscere, & amare contendat. Hinc fiet vt legittimus disputans agnoscat vera, & amplectatur, falsa vero repellat.

Secunda lex, & magni cuiusdam momẽti, vt homo ad vtranq; quæstionis partem se se componat exæquo, non ad vnam impensius, quam in aliam addicat se. ita libero euadet iudicio.

Tertia lex, disputet adolescens, aut sua confirmando, aut aliena confutando non innix² authoritati. Fiet, vt aliorum placitis parum incumbat.

Quarta lex, mutuus sit inter disputantes amor, sit christiana charitas, absint liuor, excandescentia, priuatæ factionis ambitio.

QVÆSTIO IN LEGES disputationis.

Quæ lex inter quatuor maior?

Respondetur, prima, & quæ omnis boni est caput. Si veritas scopos sit, non potest, quin disputatio succedat.

OPPOSITIO IN LEGES disputationis.

Elumbis futura est disputatio omnis, & frigida, nisi ambitionis adsint stimuli?

Respondetur, possunt addi stimuli ad veræ ambitionem gloriæ, sed cum christiana modestia.

PRO VSV HVIVS COMpendij.

Cum vsus cuiuslibet artis sit in arte præcipuũ, & quo nescito perit fructus artis, operepretium duco obseruatiões aliquot pro vsu huius compendioli annotare.

OBSERVATIO IN ARGVMENtum operis.

Dialectica circa tria versatur in vniuersum circa terminum, propositionem, & argumentationem. est itaque argumẽti is vsus, vt discas agnoscere quid sit dialecticum, & quid

quid alienum. Scito nihil esse dialecticum, quod sub aliquo ex his tribus, non sit conclusum.

OBSERVATIO IN TERMINVM.

Termini in propositione tria exercent munera, subiecti, attributi, & verbi. In argumentatione tria item, medij, maioris extremi, & minoris extremi. Medium autem, ratio, argumentum, & naturalis coniunctio æqueualent.

OBSERVATIO IN PROPOSITIONEM.

Propositiones duo habent officia in quali bet argumentatione, antecedentis, & cõsequẽtis. In syllogismo tria, maioris, minoris, & conclusionis.

OBSERVATIO IN ARGVMENTATIONEM.

Tria sunt in argumentatione explorãda, compositio, illatio, & probatio.

Obseruatio in compositionem argumẽtationis. Ad cõpositionẽ argumentationis pertinent tria. Primo argumentationis species, secundo materia propinqua & remota, tertio forma, figura scilicet, & modus.

OBSERVATIO IN ILLATIONEM argumentationis.

In illatione expendendum, an valeat. Valere agnoscitur per tria indicia. Primum si antecedens possit esse verum existente cõsequente falso. Secundum an oppositum consequentis pugnet antecedẽti. Tertium an ex opposito consequentis sequatur oppositum antecedentis.

OBSERVATIO IN PROBATIONEM argumentationis.

In probatione examinandum, primo an probet iacta prius recta illatione. probat autem, si antecedẽs est verũ, certũ, & notum. Secũdo an probet cum ratione, vel authoritate. tertio qua rationis forma probet.

OBSERVATIO IN INVENTIONEM.

Inuẽtio circa tria dũtaxat versatur, nempe circa mediũ, seu argumentum, illud disquirit in locis ab authoritate, & ratione.

Locos ab authoritate suppetit lectio. Locos a ratione quæstio. omnia enim argumenta per rationem petenda sunt ex parte subiecti, vel attributi ipsius quæstionis.

inue-

Inuestigatis omnibus argumentis ex parte subiecti, & omnibus itidem ex parte attributi, tunc argumēta, quæ vtriq; parti quęstionis conueniunt valent ad probandam affirmationem, quę vni conueniunt, & alteri dissentiunt valent ad probandam negationem, quæ nulli cōueniūt, inualida sunt.

OBSERVATIO IN DISPOSITIONEM.

Dispositio circa terminum, propositionem, & argumentationem versatur. Terminos habet partim a quæstione, partim ab inuētione. Duos habet a quæstione maius scilicet extremum, & minus, tertium habet ab inuentione, nempe medium. Propositiones, & argumentationes ex se habet. Inuento argumento seu medio, dispositio illud statim quæstioni accommodat, aut syllogismo, aut Entymemate.

Collocato cum quæstione argumento, dispositio ad examē argumentationis progreditur, primo ad examen collectionis, secūdo ad examen veritatis in antecedēte.

Oſtenſis illationis valore, & veritate antecedentis, concludit diſpoſitio ita, collectio valet, & antecedens eſt verum, ergo & conſequẽs verum eſſe oportet.

✝

Laus Deo & gloria.

Errata sunt correcta.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 20. lineis 11.12et3. est textus, nõ commentum.

Pag. 28. linea. 16. lege Syncategorematicas, non syneacategorematicas.

Pag.80. linea. vltima,et pag. 81. linea prima est textus, nõ commentum.

Pag.110. linea. 7.lege oppositionum,non appositionum.Idem lege linea ãte penultima oppositionum, non appositionum.

Pag. 111. linea. 10. lege distinctione, non distinctis.

Pag. 111. linea. 16. & 7.linea penultima legecategorice absq. aspiratione.

Pag. 112. linea .3. idem lege absq. aspiratione. Et linea.8. lege categoricæ nõ categorie.

Pag. 117. linea. 12. lege eius, nõ cuius.

Pag. 152. linea. 5. lege deficiens, nõ inde ficiens.

Pag. 161. linea. 7. lege doctrinæ capax,nõ doctrina.

Pag. 165. linea 52. tollepaulum, quia superfluit.

Pag. 183. linea vltimalege argumento, non araumento.

Pag. 195. linea 1. lege hac, non has.

Pag. 196. linea antepenultima lege nobis cum Deus, non nobiscum

Pgg. 223. linea 2. desunt hæc verba, non sit conclusum.

Assi nombrados los ermitaños de esta
S.ta de Rosemarit. y primero es
S.t Domg.o 2.o S.ta Ireu, 3.o la Asuns.
Trinitat. 4.o S.t Salvador: 5.o S. Bernat:
6.o S.ta Anna; 7.o S.t Antoni; 8.o S.t
Eliesi: 9.o S.ta Charina; 10. S.t Jud
11. S.t onofra: 12. S.ta Madalena:
13. S.t Tiago: vale.

Jesus Maria

Perdit quod uiuit anim, quae te Deum meum non
diligit. Aug. In manuali cap. 4.

Frater mi: quot annos natus es. tot peccata
si Deum non dilexisti. Dns qui genuit te
miseratur tui.

Quamdiu Jesu fili David
miserere nobis